QUAESTIONES IUVENALIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS BERGMUELLER.

ERLANGAE.

TYPIS JUNGII ET FILII.

MDCCCLXXXVI.

QUAESTIONES IUVENALIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS BERGMUELLER.

ERLANGAE.

TYPIS JUNGII ET FILII.

MDCCCLXXXVI.

Quaestiones Iuvenalianae.

Scripsit

Ludovicus Bergmueller.

I. De rhetorica Iuvenalis disciplina.

Praefatio.

Quod memoriae tradit vitae auctor vetus (cf. Iahn. ed. min. 1868 pg. 140), Iuvenalem 'ad mediam fere aetatem declamasse' quodque poeta ipse in saturae primae v. 15 sqq. significat his verbis: 'Et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos || consilium dedimus Sullae, privatus ut altum || dormiret', id Strubeus disputatione sua 'De rhetorica Iuv. disciplina' anno 1875 emissa ex ipsis saturis demonstravit. Atque grammaticorum quidem eum scholam adulescentium illius aetatis more frequentavisse effici docet iis locis, quibus aliorum scriptorum poetam voces imitatione expressisse appareat. Sed ne rhetorum quidem dicendi generi affectato effuseque abundanti omnibus pigmentorum floribus et coloribus indulgentium alienam ab eo fuisse institutionem idem nobis collatis figuris verborum sententiarumque rhetoricis, quae ab eo usurpentur, probat Rhetoricamque poetae disciplinam plurimum valuisse ad totum satirarum habitum et latum diffusumque dicendi genus ex illa profectum esse et ante Strubeum aliqua ex parte ostenderunt cum editores tum illi, qui contra Ribbeckium dictionis vel abundantiam vel brevitatem nimiam per omnes saturas fusam esse recte statuerunt, Lupus (Vindiciae Iuvenalianae. Bonnae 1864), Meinertz (Vind. Iuv. Regimont. 1866 et in disputatione: Zur Kritik u. Erkl. d. Sat. Iuv. Konitz 1871), Doetsch (Vind. Iuv. Monast. 1870), Haenicke (Krit.

Unters. üb. d. Echth. der 12. Sat. v. Iuv. Putbus 1877 pg. 5 sqq.) et qui post illos nuperrime patrocinium idem suscepit antecedentia comprehendens, Ricardus Weiseus (Vind. Iuv. Hal. Sax. 1884 pg. 18 sqq. pg. 27 sqq. pg. 45 sqq. pg. 48 sqq.), copiosius docuit. Quare, quae satis iam trita sunt, retractare minime mihi de rhetorica poetae disciplina scripturo in animo est. Sed restat unum nondum satis adhuc explanatum. Quod demonstraverunt viri illi docti quos modo laudavi, permulta, quae in saturis inveniantur, ex rhetorica Iuvenalis eruditione originem duxisse, paene totum ad rhetorum veterum de ornata variaque argumentatione praecepta spectat: ego has observationes ita supplere mihi videor, ut de partitionis oratoriae formularum quae dicuntur vestigiis, quantum apud poetam exstent, disputem. Illud ad interiorem potissimum saturarum colorem valuit: hoc ad externam speciem pertinet, ad rhetoricam compositionem quatenus cerni potest structuramque totarum saturarum, locorum distinctionem transitionesque rhetoricas.

Tetigerunt obiter etiam hanc quaestionem Strubeus et Weiseus. Atque hic de transitionibus a Iuvenale sine arte factis in universum disputans (Vind. Iuv. pg. 10 sqq.) quasdam rhetoricas breviter addit sed minime ex generibus suis distinguit. Ille in enumerandis figuris sententiarum rhetoricis (De rhet. Iuv. disc. pg. 16) confirmat quidem, quod C. Fr. Hermannus in editionis suae anno 1854 curatae praefatione (pg. XI) dicit, saturas Iuvenalis 'ad certae dispositionis formam partesque numero definitas descriptas esse', ei diligentiae Iuvenalem in rhetorum scholis assuefactum esse; sed illud omittit, quod momenti haud exigui est, ut quaerat, quatenus Iuvenalis formulis partitionis usus sit, quas Cicero, eloquentiae princeps, in summis orationis ornamentis habuit.

Quod enim Ribbeckius dicit (Der echte u. un. Iuv. pg. 28), Iuvenalem constructionis saturarum suarum coagmenta mira quadam subtilitate obtegere scire, id in paucas tantum cadit; cum satura vero septima hanc sententiam nullo modo convenire rhetoricamque omnino dicendi rationem et in iis inveniri, quas ille poetae ipsi tribuat, et in iis, quas ad interpolatorem referat, Meinertzio (Zur Krit. u. Erkl. d. Sat. Iuv. pg. 18) et Haenickio (l. c. pg. 5 sq.) facile concedimus. Atque ut Schluetero assentior (Ztschr. f. d. G. 1861. — 15 pg. 241 sq. Persius u. Iuvenalis. Zur ästhet. Krit. d. Satiren) statuenti apud Iuvenalem

formam ac speciem poeticam plane a materie turpi abhorrere, ita Teuffelium laudo (Stud. u. Charakteristiken pg. 410—434 Ueb. Iuv.) saturarum poetae dispositionem utpote non benigna ingenii vena praediti ieiunam appellantem atque eam, quae rectam seriem membrorum argumentationis nulla arte inter se coniunctorum plerumque exhibeat, ut transitiones labore operoso fabricatae aures defatigent.

Declamatorem ergo Ribbeckii in Iuvenale ipso agnoscimus. Cuius saturae I. III. VII. X. XIII. XVI in locos maiores minoresque distingui negotio nullo possunt, reliquae orationis cursui immixtas degressiones habent et disputationes rhetorice divisas. Quid igitur mirum, si obstrictus artis legibus poeta saturis rhetorice distributis particulas rhetoricas crebro usurpat?

Ea igitur eruditionis rhetoricae vestigia, quae Strubeus et Weiseus leviter tantum attigerunt, hic congerere mihi proposui. Ac de transitionibus particulisque rhetoricis disputans formulas non solum eas tracto, quae ad maiores minoresque locos transitionem faciunt, sed etiam transitionis quam proprie dicunt, revocationis, reditus ad propositum, praeteritionis, occupationis formularum vestigia, quippe quae omnes ad partitionem spectent, Seyfferti librum cui est titulus: ʻScholae latinae. Leipzig I.³ 1870. II.³ 1872ʼ in tota disputatione velut ducem sequens.

Iam si quaeritur, quid emolumenti ex eiusmodi quaestiuncula crisis Iuvenaliana capiat, si paululum proficit, satis habeo. Primas enim in factitanda illa iam partes tenere R. Beerium facile videt, qui hisce diebus studiis Iuvenalianis tempus impendit. Is apparatu critico toto Iahnii iterum examinato adiectis subsidiis his temporibus detectis fundamenta recensionis Iuvenalianae denuo stabilivit atque auxit. Subtilitatis summae acerrimique iudicii exempla praemisit editioni curandae primum in Meletematis Vindobonensibus (Melet. Vind. VI 1884 pg. 297—314. De nova scholiorum in Iuven. recens. instituenda), tum edito libello ʻSpicilegium Iuvenalianum. Lips. 1885ʼ, ubi de codicibus subsidiisque criticis atque de ea quae hodie vocatur textus historia disputatione diligentissime instituta lectionum specimina edit. Qua in re haud paucae ut vidi lectiones codicis imprimis Pithoeani auctoritate commendatae dicendi poetae usu virorum doctorum et superioris et huius aetatis observationibus constituto fulciuntur.

Postquam enim a recta via ars critica notissima illa Rib-

beckii ratione aberravit, in dies ut videtur latius pervagari ea sententia coepit, qui de versu aliquo aut loco suspecto iudicare recte vellet, eum non solum codicum auctoritatis diligenter rationem habere sed etiam in poetae dicendi genus subtilius inquirere oportere. Inde arma sumpserunt, qui contra Ribbeckium hucusque adversarii exstiterunt, postremum Weiseus, et qui ab aliorum criticorum obelo liberandos versus quosdam nuperrime susceperunt, Gustavus Schoenaich (Quaestiones Iuvenalianae. Hal. Sax. 1883) et Vahlen (Ind. lect. aest. Berolin. 1884). Quorum alter in disputationis parte altera (pg. 12 sqq.) hac via feliciter usus in Teuffelii rationem viris doctis satis notam invectus est, alter a defensione versus 138 sat. VII. profectus complures alios versus tamquam nimis languentes a criticis damnatos genuinos habendos esse ex similitudinis ratione probabiliter statuit.

Sed ad illos, si fert occasio, recurram; nunc vero ad rem ipsam accedam exemplis illis ad eam spem adductus fore ut, si quis vel unius dictionis partis exempla in unum locum collecta praebuerit, is dubitanti de loco aliquo a criticis impugnato scrupulum eximat, ubi hunc similium quorum sinceritas constat locorum auctoritate defendi viderit. Qua in re illud unum, fateor, timendum est, ne, quo pluribus eiusmodi quaestionibus codicis optimi Pithoeani fides saepius suspectata eluceat, eo magis poetae ingenii artisque admiratio tollatur.

His praefationis nomine praemissis facere non possum, quin praeceptoribus reverendissimis, qui me consiliis benevolentissime in conscribendo hoc libello adiuverunt, Iwano Muellero, Augusto Luchsio, Eduardo Woelfflino pio animo gratias agam.

§. 1. De levioribus aliquot rhetoricae disciplinae vestigiis.

Oratorum Romanorum fuisse propositione quam dicebant, de quanam re dicendum esset, in initio totius orationis vel singularum orationis partium declarare, partitionem autem proprie expositionem locorum maiorum vel minorum in argumentationis puncta distributam intellegi Seyffertus (l. c. I pg. 4) docet.

Ac propositionis Iuvenalem non immemorem esse Strubeus (l. c. pg. 16) paucis commemorat. In sat. enim I v. 19 poeta, postquam demonstravit, quanam potissimum re ad carmina pangenda impelleretur, cur saturas scripturus sit, profitetur his verbis:

'Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus,
si vacat ac placidi rationem admittitis, edam'.

Comparandus est locus III 59 'Quae . . . . et quos . . . ., properabo fateri'.

In sat. IV quoque v. 11 verba 'sed nunc de factis levioribus' propositionis quodammodo partes agunt ad alteram scilicet saturae huius partem (vss. 1—36) spectantis revocatione de qua postea disputabo adiecta.

Usitata oratoribus veteribus erant in propositione causae totius talia verba, qualia sunt: 'est dicendum', 'explicetur', 'videamus', 'me dicere oportere intellego', in singulorum locorum, velut primi, talia: 'ut ordiar', 'id primum videamus', 'breviter expono', 'aperiam' (cf. Seyff. l. c. I pg. 6 sqq.).

Ex quibus formulis id certe elucet, oratores suam ipsorum personam in orationis cursu ubique exhibere solitos fuisse. Atque declamatoris alicuius effigiem refert Iuvenalis hunc morem secutus in sat. XIV v. 114

. . . 'Adde, quod hunc, de
quo loquor, egregium populus putat adquirendi
artificem',

quod tamquam nimis frigidum Ribbeckius (l. c. pg. 28) Iuvenali abiudicat. Nec magis venusta in sat. XVI v. 7 propositio loci maioris alterius haec est:

'Commoda tractemus primum communia, quorum
haud minimum illud erit, ne' . . ,

'Tractare' quidem et 'tractatio' voces ipsae quasi termini technici erant, quibus rhetores de argumento aliquo ad auditorum aures conformando utebantur (cf. Seyff. l. c. pg. 1). Quoque modo pronomen 'illud' proprie usurpatum sit ad novum aliquid significandum, apparet ex formulis rhetoricis, quales sunt: 'Atque etiam illud', 'ac ne illud quidem neglegendum est' (cf. Seyff. l. c. I pg. 59 sqq.).

In sat. quoque VI v. 434 in transitione hac: 'Illa tamen gravior, quae, cum discumbere coepit', . . . ex pronomine 'illa' illico novum aliquid induci cognoscitur. Alia exempla sunt haec: VI 572 'Haec tamen ignorat, quid sidus triste minetur || Saturni . . . — illius occursus etiam vitare memento', . . . VI 651 . . . 'minor admiratio summis || debetur monstris', . . . (v. 646 sqq.) — 'illam ego non tulerim, quae conputat et scelus ingens || sana facit'.

Conferendum etiam est XIV 64 'ergo miser trepidas... (v. 68): illud non agitas ..?'

Alio verbo poeta in propositione loci minoris alterius in saturae XVI v. 35 utitur:

'Praemia nunc alia atque alia emolumenta notemus
sacramentorum' . . .

Comparandi sunt loci I 45 'quid referam' 52 'haec ego non agitem?' V 51 'modo querebar' VIII 184 'utimur exemplis;' missa hic facio verba rhetorica in praeteritionis figura in prima persona usurpata.

Si particulis transitio ad primam orationis partem fiebat, 'ac', 'ac primum', 'et primum' creberrime usurpari solebant (cf. Seyff. l. c. I pg. 12 sq.). Iuvenalis autem particulae 'nunc' has partes tribuit in sat. VII v. 36

'Accipe nunc artes. Ne quid tibi conferat iste,
quem colis Musarum et Apollinis aede relicta,
ipse facit versus' . . .

id est revocatione tecta, in qua 'nunc' item adhiberi infra videbimus, ad primum locum transit, postquam in universum docuit cum litterarum studiosos (cf. VII 1) tum poetas ad Hadrianum imperatorem unum refugere debere (cf. v. 22), cum ab ipsis divitibus 'admirari tantum disertos' solitis praemia speranda non sint (cf. v. 30). Inque v. 37 verba 'Musarum et Apollinis' maximum pondus habent, quia a v. 36 usque ad v. 97 poetarum malam condicionem antea adumbratam amplius descripturus est.

Particula omissa primam partem incipit poeta in sat. V v. 12

'Primo fige loco, quod tu discumbere iussus
mercedem solidam veterum capis officiorum',

ubi verba 'primo loco' rhetorum officinam redolent.

His duobus quos attuli locis simul ad rhetoricum imperativi usum attendendum est, cum cohortationis forma ad locum novum apud Iuvenalem saepissime transeatur. Veteres enim, si Seyfferti auctoritatem sequimur (l. c. I. pg. 179), videmus formulas 'accipite nunc', 'age' (adposito 'nunc' vel 'vero' ib. §. 26), 'considerate', 'esto — videte', vel, si de maiorum exemplo monebatur, 'recordamini', vel, si vox hominis alicuius commemorabatur 'audite' usurpare. De quo imperativi apud Iuvenalem usu quoniam Lupus (Vind. Iuv. pg. 19) disputavit, ex locis ab eo enumeratis eos eligo, qui, quod ad transitiones spectant, huc pertinent. Sat. III 268 'Respice nunc alia ac diversa pericula noctis', V 80

'Aspice, quam longo distendat pectore lancem, ‖ quae fertur domino squilla, . . .' VI 115 'Respice rivales divorum, Claudius audi ‖ quae tulerit.' VII 36. X 209 'Aspice partis ‖ nunc damnum alterius'. X 191 'Deformem et taetrum ante omnia vultum ‖ dissimilemque sui, deformem pro cute pellem ‖ pendentisque genas et tales aspice rugas,' . . . Hoc loco, ubi de pravo vitae longae voto disputatur, verba 'ante omnia' primum locum minorem (vss. 191—203) inducunt. XIII 120 'Accipe, quae contra valeat solacia ferre, ‖ et qui nec' . .

De 'adde' imperativo, qui in formulam abiit, infra disputabo. Itemque huc non pertinere consentaneum est imperativum cum irrisione quadam et ira in fine expositionis alicuius ut ab aliis scriptoribus ita ab Iuvenale (cf. Kiaer. Sermonem Iuv. certis leg. astr. ex acc. inq. loc. atque interpretatione dem. conatus est. Hauniae 1875 pg. 76 sq.) usurpatum 'i nunc et', in qua elocutione 'nunc' significat: hac audita explicatione. Occurrit in sat. X 166. X 310. XII 57. In sat. VI vero v. 306 'I nunc et dubita, qua sorbeat aera sanna ‖ Tullia' . ., compares cum oratorum elocutione: 'et quisquam dubitabit, quin' (cf. Seyff. l. c. I pg. 78).

§. 2. De particulae ergo usu rhetorico.

Particula 'ergo' Ciceronem re ipsa, de qua verba facturus sit, amplius explicata atque accuratius definita illuc, unde profectus sit, redire et vel ad primum orationis locum vel in loco aliquo maiore ad rem transire Seyffertus (l. c. I pg. 14) docet. Similiter Iuvenalis in sat. X v. 54

'Ergo supervacua aut vel perniciosa petuntur,
propter quae fas est genua incerare deorum.'

argumentum saturae in v. 8 (nocitura toga, nocitura petuntur militia) repetit et a versu 56 locum primum incipit. Ea autem re ab oratoria ratione discedit, quod non locum aliquem materiae antea commemoratum atque explanatum repetit sed totum saturae argumentum, quoniam partitio rhetorica propositioni inserta non in satura pariter atque in oratione locum habet.

Ipse poetae locus a Madvigio, qui (opp. II pg. 201) versum 55 sic emendavit: 'propter quae fas est, genua incerate deorum!', quod Iahnius, ut videtur, comprobat, sanatus non est, licet qui Weidneri editionem (Lit. Ctrbl. 1873 pg. 1201) recen-

suit, patronus eius exsistat. Iongius enim (Adnotat. in sat. D. I. Iuv. Groningae 1879 pg. 79) recte monet poetae hic non hortantis sed demonstrantis partes tribuendas esse, cum in fine saturae (v. 346 sqq.), quae maxime optare debeant homines, ipse declaret. Nec Lachmanni emendatio: 'Ergo, supervacua aut ne perniciosa petantur, ‖ propter quae fas est genua incerare deorum?' probanda est, qua insuper mutetur Pithoeani cod. lectio. Quae Mayor (Thirteen Satires of Iuvenal. II. ed. enlarged, London and Cambridge 1872—1878) Munrone auctore in textum recepit: 'Ergo supervacua aut ut perniciosa petuntur, propter quae fas est genua incerare deorum?', Friedlaenderus (Burs. Jahresb. 1878. 13 u. 14. 2. Abth.) iure reicit non minus quam Buecheleri emendationem (Rh. M. N. F. 1879. 34. pg. 355 sq.): 'Ergo supervacua aut vel perniciosa petuntur? Propter quae fas est genua incerare deorum?', quoniam quae sequuntur, interrogationibus minime respondent. Temporis vero spatio aliquo interiecto mutata sententia Buecheleri opinionem laudat (Burs. Jahresb. 26 u. 27. Jahrg. 9. 1881. Abth. 2). Neque quae Mayor ipse postea sic interpretatur (Iournal of philology VIII. 1879. pg. 272. cf. Burs. J. ib.) 'Ergo — putantur', bene cum sequentibus verbis conveniunt. Weidnerus vero (Iuv. Sat. erkl. Leipzig 1873 pg. 223) male conicit 'propter quae nec fas', iure a Meinertzio in rec. edit. (Ztschr. f. G. 28. J. 1874. pg. 211—239) vituperatus, quoniam verba 'fas est' mutanda non esse concedendum est. Ac ne Iongius quidem (l. c. pg. 79) rem recte enarrat. Qui versus 54 et 55 nihil mutandos esse sed inter eos versum sensus huiusmodi: 'Nesciunt autem vel adeo deprecantur', excidisse censet. Cum enim in vss. 4 et 5 desideria et bona et perniciosa commemorentur, Iuvenalem dicit unde deflexerit redeuntem rursus bonorum et perniciosorum mentionem facere debere. Versuque 55 bona significari existimat. Sed errat Iongius erratque eodem nomine Vahlen (ind. lect. aest. Berol. 1884 pg. 13), qui — fidenter sane — Iuvenalem haec scripsisse conicit: 'Ergo supervacua aut [sibi] perniciosa petunt nec'. Namque cum per totam saturam de perniciosis potissimum hominum votis sermo sit, particula 'ergo' ego eam censeo quae conspicua erat ante digressionem sententiam v. 8 adumbratam repeti: 'nocitura toga, nocitura petuntur ‖ militia', quam Vahlen (l. c.), qui versum recte respicit, male sic enarrat: 'nescire homines, quid votis appetant, quid non'. Ob eam causam in v. 54 'petuntur' verbum significantis-

simum emendare in 'putantur' vel simile aliquid a ratione loci abhorret. Immo verba versuum 54 et 55 ut a Pithoeano traduntur, recte se habent. Sed in vocibus 'fas est' ut in versu h. s. 257 'atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem' salsae utique sententiae vis inest. Illic Laertae fato datum est, ut — filium lugeat: hic vulgo insipienti licet, quoniam ex votis mala redundant, — adversus ea deorum auxilium implorare (genua incerare). Hac ratione aptus fit transitus ad singula vota prava amplius describenda.

Similem vim 'ergo' particula habet in sat. III v. 104:

'Non sumus ergo pares: melior, qui semper et omni
nocte dieque potest aliena sumere vultum
a facie' . . .

Ita enim differt ab eo usu, quem Seyffertus (l. c. I pg. 14) definivit, ut non transitio ea fiat ad locum antea commemoratum sed loci inferioris quasi comprehensio. Nam verba ut sunt posita a v. 104 usque ad v. 109 primum respiciunt ad argumentum totius capitis, cuius summa haec est: Graecorum omnes hic studiosissimos esse tolerare nequeo (vss. 58--125), ab Iuvenale versibus:

'Quae nunc divitibus gens acceptissima nostris
et quos praecipue fugiam, properabo fateri' . . .

inductum, tum ad locum cuius conclusio fit secundum, quo dicitur artem adulationis assentationisque callere Graecos (vss. 85—109). Versum 104 igitur, quem recte defendunt Gustavus Schoenaich (Quaestiones Iuv. Hal. Sax. 1883 pg. 15 not. 1) et Vahlen (l. c. pg. 14), Iahnius Lupus Ribbeckius Weidnerus temere spurium habuerunt. Verumtamen hic quoque rhetoricus particulae usus perlucet. Namque ubi Seyffertus de transitione propria disputat (l. c. I pg. 66), ipse affert exemplum (de Fin. V §. 58), in quo 'ergo' particula partibus aliis susceptis locum antecedentem absolvit novumque simul inducit.

Sed ne in dumeta quasi correpat disputatio mea, rationem, ex qua alia valde familiaris poetae particulae 'ergo' usus exempla ad rhetoricam disciplinam revocem, alia non ita enarrem, breviter exponam. Atque id ex exemplis nuperrime a Vahlenio (ind. lect. aest. Berol. 1884 pg. 12—15) congestis elucet, particulam 'ergo', cui comprehendendi antecedentia vis inest, in capitis alicuius argumentatione vel post minutas expositiones adhiberi, ut quae singulatim disputata sint, una tantum sententia

generali colligantur, quo facto argumentatio ad eandem rem aliis exemplis describendam recurrit. Quae particulae indoles cernitur ex sat. VI v. 224, ubi antecedentia de feminarum dominandi cupiditate dicta uno verbo sic repetuntur: ʿimperat ergo viroʾ, ut Germanici verbi vim ʿkurzʾ indere particulae possimus. Cuius usus exempla creberrima huc non spectant. Ubi autem particula ʿergoʾ totius materiae locis aperte distinctis in limine quasi duorum locorum certo versuum numero determinatorum invenitur, ut conclusionem et transitionem efficiat, ibi eam a poeta ex usu proprie rhetorico usurpatam puto. Quod fit, nisi fallor, et his duobus quos attuli locis X 54. III 104 et tertio, quem infra tractabo, XI 99.

In sat. XI v. 21:

ʿRefert ergo, quis haec eadem paret: in Rutilo nam luxuria estʾ, . . .

non rhetorice usurpatur in transitione particula, ut, quod forsitan cogites, exordium saturae concludatur, sed medio in exordio (vss. 1—55), ne deflectat oratio, vss. 21 et 22 ad primos versus ʿAtticus eximie si cenat, lautus habetur, ‖ si Rutilus, demensʾ respiciunt.

Alium hic tracto, quamquam non magis huc pertinet, locum ex iis, quibus post brevissimam expositionem ponitur particula, ut versuum paucorum sensum comprehendat, qui vexatissimus est:

Sat. III 281 ʿErgo non aliter poterit dormire: quibusdam somnum rixa facit.ʾ

ubi, quod versibus 278 sqq. dicitur, v. 281 repetitur. Qui versus adhuc ab omnibus fere, Henninio Heinrichio Iahnio Ribbeckio Lupo Scholtio (Dissertatio litteraria continens observ. critic. in sat. D. I. Iuv. Trai. a. Rh. 1873 pg. 32) ita enarratus est, ut sententia ʿErgo non aliter poterit dormireʾ pro interrogatione acciperetur. Interrogationem autem, sive Umbricio sive poetae colloquenti tribuitur, a comprehendendi superiora particulae ʿergoʾ usu, de quo modo disputavimus, plane abhorrere, immo post saturos versuum antecedentium colores offensioni magnae esse nemo non videbit (cf. Vahlen. ind. lect. aest. Berol. pg. 15 not.). Quare quod Hoffmannus (Neue Jahrb. f. Philol. 118. Bd. I. Abthl. 1878 pg. 308) proponit ʿpriusquamʾ pro ʿquibusdamʾ prae enarrationibus prioribus id saltem laudis habet, ut interrogationem tollat. Sed Friedlaenderus (Burs. Jahrb. J. 13 u. 14. 1878. 2. Abthl.) recte monet post verba ʿnon aliterʾ ʿpriusquamʾ poni

nullo modo posse. Iongius quoque (l. c. pg. 24 sq.) Hoffmanni coniecturam repudiat sed ipse rem male ita explicat: 'Petulans, qui non cecidit, patitur noctem insomnem, ergo: non poterit dormire, priusquam ceciderit.' Sed particulae 'ergo' ope sententia, quae antecedentium versuum obscurioribus paulo vel pluribus verbis continebatur, simplicibus neque ancipitibus in v. 281 breviter redditur.

Id saepius omissa particula, interdum sententia communi fieri permulta in saturis exempla docent, quorum magnam partem congessit Vahlen (l. c. pg. 1—12 et 15—17), ut ea, in quibus idem particula 'ergo' posita fit, originem quasi ex illis duxisse appareat. Hac igitur garrulitate, quae ex sermonis cotidiani tenore repetita videtur, absolvi poeta nullo modo potest; sed perverse eadem interpolatori tribuitur a multis, velut a Scholtio (l. c. pg. 32) I 137. III 200. IV 78. V 140. X 41. 161. 176 poetae abiudicante. Communi quoque sententia Iuvenalem rem comprehendere exemplo est locus sat. XIII v. 183. 'Quantulacumque adeo est occasio, sufficit irae' pluresque Lupus (Vind. Iuv. pg. 27) ad I 14 enumerat. Interpretandus hac ratione is quoque versus est, quem Lupus (l. c. pg. 29) et Teuffelius (Rh. M. N. F. 20. 1865 pg. 473 sq.) et Iahnius (ed. min. 1868) insiticium putant, sat. III v. 113 'Scire volunt secreta domus atque inde timeri.' Pertinent denique huc versus saturae IV 8 'Nemo malus felix, minime corruptor et idem || incestus'..., quem Iahnium [2] sequens Meinertzius (Z. Kr. u. Erkl. d. Sat. Iuv. Konitz 1871 pg. 19 sq.) repudiat, versusque V 66. 140 (cf. Vahlen. l. c. pg. 11 et 9) ab eodem (ib. pg. 31) temere damnati. Friedlaenderus vero (Burs. Jahrb. 1878. 13 u. 14. Abth. 2 in rec. ed. Mayori) laudandus est in sat. X v. 323 hanc interpunctionem proponens: 'Catulla || deterior? Totos habet illic femina mores', quia hac ratione sententia communis antecedentia concludens servatur, quarum generi Iuvenalis admodum indulget.

Ut interiectis his ad nostrum locum redeam, 'ergo' non, ut Iongius (l. c.) ait, sententiam inducit, qua demonstretur, quanam ratione insomniae ebrius ille homo occursurus sit (= itaque), sed sensus Germanice reddi ita potest: 'Kurz und gut, er ist einer, der vor dem Schlaf gerauft haben muss.' Quia 'aliter' cum Ribbeckio (l. c. pg. 122) ad verbum referri debet, quod sequente 'rixa' continetur (rixari), versu ita distincto: 'Ergo non

aliter poterit dormire: quibusdam || somnum rixa facit' nulla coniectura adhibenda est.

Qui restat versus sat. XI 99

'Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex.'

in digressione de veterum simplicitate ac continentia (vss. 77—129) versus novem, qui supellectilem tractant (vss. 90—98) miro sane verborum habitu ita concludit, ut ad antecedentes de cena, quippe quae in invitatione primas partes teneat (vss. 78—89), respiciat. Quare Heinr. (vol. II pg. 422) Iahn. Weidn. Scholt. (l. c. pg. 86) eum versum spurium non iure iudicant.

'Ergo' particulae vim Iuvenalis in

Sat. V v. 59 . . . 'Quod cum ita sit, tu Gaetulum Ganymedem
respice, cum sities.'

formulae 'quod cum ita sit' subicit, ut intermissis paucis versibus (vss. 56—59) ad 'cursorem Gaetulum' (v. 53) orationem referat (= tu ergo Gaetulum Ganymedem respice) simulque locum minorem de ministri formositate (vss. 52—60) absolvat. Weidnerus (pg. 109) improbante Meinertzio (l. c. in rec. ed. Wdn.) perverse sic interpretatur: „aber wenn du auch davon absehen willst, so wirst du doch finden, dass dieser schwarze Ganymed als Mundschenk sehr ungeschickt und grob ist", quia 'nescit' verbum non ad 'Gaetulum' pertinet, sed 'tot milibus emptus' manifeste idem est atque in v. 56 commemoratus (flos Asiae ante ipsum, . . .). Quam formulam apud oratores veteres in peroratione potissimum, rarius in conclusione loci alicuius usurpatam esse Seyffertus docet (l. c. I pg. 80).

§. 3. De argumentorum sive locorum oeconomia.

Strubeus (l. c. pg. 18) figurae incrementi, quae gravitati serviat, tria exempla apud Iuvenalem inveniri (in sat. VI vss. 149—151, vss. 189—191, vss. 329—434) breviter demonstravit. Lupus quoque (Vind. Iuv. pg. 22 extr.) versus singulos, in quibus fit gradatio, enumerat.

Sed gradationis ratio ab illis explicata paucorum versuum cancellis circumscripta est; si vero maiora respicis, quod apertis Iuvenalis ipse professus est verbis in sat. VIII v. 183:

'Quid si nunquam adeo foedis adeoque pudendis
utimur exemplis, ut non peiora supersint?'

ex ipsa saturarum compositione dilucide cernitur. In quam si diligenter inquiris, paucas tantum saturas (si vis, III. IX. XI. XII. cf. Haenickium, Krit. Unt. üb. d. Echtb. d. 12. Sat. pg. 5 sq.) imagines suaves appelles praecipua poetae arte fictas conformantis materiem variam ad subtilius consilium animo conceptum; in reliquis omnibus simplicem declamatoris Iuvenalis rationem deprendes, cuius vestigia in tertia quoque apparent, qui saepissime argumenta graviora leviora excipere transitionibus sane ieiunis aperte significat.

Spectare autem hoc amplificationis studium, quod in saturarum elucubratarum scriptore in nimium dicendi genus inclinante nil habet miri, quodammodo ad rhetorum disciplinam existimo. Velut inter argumentationem, quae per inductionem fit, et transitionis formulas proprie rhetoricas angustissimam intercedere rationem ex iis elucet, quae Seyffertus et de formulis rhetoricae interrogationis (l. c. I pg. 46 sqq.) et de transitionis figura peculiariter dicta (ib. pg. 70 sqq.) disputavit. Cumque paulo infra, quibus particulis in transitione ad maiores minoresve locos indulserit poeta, expositurus sim, haud alienum a re esse arbitror huius rationis in hoc poeta, cuius pleraque rhetorum redolent leges, magis quam in ceteris conspicuae vestigia, quippe quae ad formulas illas non semel spectent, per omnes saturas indagare.

Atque in satura I Wirzium in vss. 22—80 gradationem fieri sane probabiliter statuentem (Philol. 37. 1877 pg. 293 sq.) impugnavit nuperrime Gustavus Schoenaich (Quaest. Iuv. pg. 15 not. 2) imagines a poeta vitia depingente fictas paris momenti nec vi inter se discrepantes esse ratus. Sed valde errat. Postquam enim ante versum 30 res mitius iudicium quodammodo sibi vindicantes commemoravit, ab illo (. . . Nam quis iniquae ‖ tam patiens urbis, . . .) ad atrociora vitia pergit. Tum a versu 45 (Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira, . . .) illud novum accedit, ut poena ab hominibus indulgentibus illis vitiis non repetatur. Versus denique 52—80 cumulum praecedentibus ita afferunt, ut flagitiosos homines non solum non incusari sed impudentiam contumaciamque quam maximam passim prae se ferre denotent.

Ex quibus versus 77—80: ‘Quem patitur dormire nurus corruptor avarae, . . .’ quomodo cum antecedentibus iungendi sint, varie disputatum est.

Atque Teuffelius (Rh. Mus. XX. 1865. pg. 154) versus 77—80 ideo scriptos existimat a poeta saturam iterum recensente, ut in locum succedentes versuum 73—76 proxime cum v. 72 iungerentur. Eundem versum subsequi eos debere Ribbeckius (l. c. pg. 137) censet, cum vss. 73—76 librarii alicuius neglegentia a suo loco (v. 68) abrupti sint. Cuius in partes Iongius quoque (l. c. pg. 14) it. Sed difficultas, quam ille nasci ait monens v. 69, si compares cum vss. 52 et 58, abrupte ad mulierem veneficam transducere, tollitur, si lectionem ab Heinrichio (vol. II pg. 61) commendatam ‘occurrat’, in textum recipimus, ut sententia ad coniunctionem ‘cum’ in v. 64 positam referatur. Quodsi Iongius ex Dig. lib. 48. tit. 10 docet deportationem propriam falsi poenam esse, causa ea non adducimur, ut vss. 73—76 cum v. 68 iungamus; sed v. 73 enarrari ita potest, ut duas duorum scelerum poenas contineat [1]).

Weidnerus (l. c. pg. 40) iure suo vss. 77 et 78 amplificationem efficere versuum 64—72 putat. Nam et Iuvenalis est gradatione aliquid describere et post res indignatione maxima dignas, quas descripsit, sermonis cursum ut in his versibus 73—76 paululum inhibere, ut indignatio animo ac pectore erumpat. Eodem certe modo enarrandi sunt vss. I 42—44 et II 159 sqq. et sat. V v. 51 ‘querebar’ et versus 107—113 a Ribbeckio et Wirzio (Zur Kritik der 5. Sat. Iuv. Aar. 1868) Ribbeckio ibidem nimis obtemperante repudiati, a Meinertzio (Zur Krit. u. Erkl. pg. 31) defensi, versusque sat. XV v. 84 ieiune parenthesin dilucidis verbis significans: ‘Hic gaudere libet, quod non violaverit ignem,’ . . . Taliumque apud eum quem verum putat poetam locorum enumerationem ipse Ribbeckius dat (l. c. pg. 37).

Versus igitur 77 sqq. vitium turpe ex foro atque quadrivio in familias quoque irrumpere et sancta fundamenta evertere docere consentaneum est. Quodque v. 77 crimini datur, quod nimis prae versibus similibus 30, 45, 63 languescat, vi certe sententiarum, quas inducit, compensatur. Elocutionem autem ‘quem patitur dormire’ Wirzius (l. c.) ad imitationem loci Horatiani (Sat. II 1. 7) conformatam esse dicit. Sed errat Wirzius. Horatii enim locum ad nostrum nihil valere facile cognoscas, quo-

1) Aliis argumentis ductus et Teuffelii opinionem et Wirzii (l. c.) versus 77—78 Iuvenali abiudicantis refellit Gustavus Schoenaich (Quaest. Iuv. pg. 15).

niam illic de insomniae remedio agitur. Potius verba haec monent de Themistoclis illa apud Plutarchum voce (Them. III 3) *ὥστε . . . τὰς νύκτας ἀγρυπνεῖν καὶ τοὺς πότους παραιτεῖσθαι τοὺς συνήθεις καὶ λέγειν πρὸς τοὺς ἐρωτῶντας καὶ θαυμάζοντας τὴν περὶ τὸν βίον μεταβολήν, ὡς καθεύδειν αὐτὸν οὐκ ἐῴη τὸ τοῦ Μιλτιάδου τρόπαιον*, quam ab aequali, qui Traiano regnante vitas composuit, memoriae proditam potuisse imitari Iuvenalem concedendum erit [2]).

Ut omittam Weidneri interpretationem verborum v. 78 'praetextatus adulter', de qua recte statuit Wirzius (l. c.), hoc dico: adulescentulos nondum corroboratos Romae adulterium facere Romano temporum antiquorum memoriam pio recolenti animo, qualis poeta est, summum quasi vitiorum fastigium videtur, non minus quam Quintus Cicero (pet. cons. 10) Antonii perditi illius hominis descriptioni cumulum affert his verbis: 'qui tantum habet audaciae, tantum nequitiae, tantum denique in libidinibus artis et efficacitatis, ut prope in parentum gremiis praetextatos liberos constuprarit.' In verbis autem 'sponsae turpes' enarrandis melius sequeris Weidnerum ad Tac. Ann. XI 26 (cf. Iuv. X 330) respicientem quam Heinrichium (vol. II pg. 63) de v. 62 h. s. cogitantem aut Wirzium, qui Madvigii (Op. I pg. 40) interpretationem 'sponsae non castae nec libidinis saltem ante nuptias expertes' laudat.

Sed, unde degressa oratio est, redeamus. Atque eam esse Iuvenalis sententiarum distinctionem, ut minorem maior excipiat,

---

2) Hic Plutarchi locus magis ad nostri similitudinem accedit quam ille Ciceronis, quem Iuvenalis nonnullis locis imitatus est (cf. Strub. de rhet. Iuv. disc. pg. 2 et Weis. Vind. Iuv. pg. 24), Tusc. 4, 19, 44 'quaerentibusque respondebat Miltiadis tropaeis se e somno suscitari.' Ceterum ut facere non potui, quin compararem hosce locos similes, ita certis opinionem meam argumentis probare nequeo, quia num Plutarchus ante annum centesimum, quo Iuvenalis satura prima conscripta esse videtur, Themistoclis et Camilli vitas scripserit, parum constat. Praeterea quod, qui nuperrime hac de re quaestionem instituit, Ioannes Muhl ('Plutarchische Studien' Augsburg 1885) Themistoclis et Camilli vitas duodevicesimum fere locum tenere statuit, sententiae meae minus favet quam quod Lion olim invenisse sibi visus est (Comment. de ordine quo Plutarchus vitas scripserit Gottingae 1819 pg. 22) in primis illas a Plutarcho compositas esse, quam opinionem R. Nicolai (Griech. Literaturgesch. II. 1877 pg. 539) amplexus est.

Naegelsbachius quoque (Philol. 3. Jahrg. 1848 pg. 470 sqq. Ueber d. Compos. d. 4. u. 6. Sat.) in satura quarta et sexta demonstravit. Quarum in altera versibus a v. 37 incipientibus tamquam gradationem contineri antecedentium (vss. 1—36), cum prior pars in aulaei alicuius descriptione versetur, quomodo autem tam abiecti homines libidini arbitrioque imperatoris inserviant, altera explicetur, Naegelsbachius recte docuit. Quare versus 1—36 male suspectant et Ribbeckius (l. c. pg. 76) quamvis vehementer impugnans et ad interpolatorem referens et Weidnerus, qui etsi non damnat tamen casu infelici duas non convenientes inter se partes coniunctas esse statuit.

In sexta vero satura poeta in loco altero maiore (vss. 286—457) luculentis verbis in transitionibus aliquid gravius induci significat. Conferas v. 398 'Sed cantet potius quam totam pervolet urbem', v. 413 'Nec tamen id vitium magis intolerabile, quam quae || vicinos humiles rapere et concidere loris || exorata solet', v. 434 'Illa tamen gravior, quae, cum discumbere coepit ||, laudat Vergilium' . . Versus quoque 457 'Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil' initium est gravioris argumenti, cum poeta, postquam latius divitias patere explicavit, ad ea transeat, quae proxime ex iis mala consequantur. Gravissimum vero argumentum (vss. 627—662) in fine ponit feminam describens, quae a liberorum ad mariti caedem feratur.

Quae ratio a minore argumento ad maius progrediendi in pauciorum quoque versuum ambitu conspicua est. Quam v. 114 significat 'Quid privata domus, quid fecerit Eppia, curas? || respice rivales divorum, Claudius audi || quae tulerit.' Nam libido sexus muliebris propria eo clarius cernitur, si in regia eadem apparet (vss. 114—135). Alia quoque exempla afferri possunt. Velut v. 335 'Atque utinam ritus veteres et publica saltem || his intacta malis agerentur sacra: sed omnes || noverunt Mauri atque Indi, quae psaltria' . . v. 614 . . 'Tamen hoc tolerabile, si non || et furere incipias', . . v. 646 . . 'Minor admiratio summis || debetur monstris, quotiens facit ira nocentem || hunc sexum, . . . illam ego non tulerim, quae computat' . . . (v. 651).

Manifestissima vero in transitione gradatio est, si Iuvenalis in vitiis feminarum describendis antecedentibus tribuit, quae sequentibus desunt. Exempla sunt haec: v. 569 sqq. 'Haec tamen ignorant, quid sidus triste minetur || Saturni, . . . — illius occursus etiam vitare memento ||, in cuius manibus'. . . et v. 592

'Haec tamen et partus subeunt discrimen et omnis || nutricis tolerant fortuna urguente labores: || sed iacet aurato vix ulla puerpera lecto'.

Restant ceterarum saturarum exempla. Atque in secunda satura amplificatio continetur versu 82 'Foedius hoc aliquid quandoque audebis amictu'. Vestium enim dilucidarum inhonestae deliciae ad maiora flagitia viam aperiunt, quorum fastigium matrimonia sunt a naturae legibus abhorrentia et tirocinium Romani nobilis gladiatorium (vss. 117—148). Transitio igitur sane languida in v. 143 'Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi', cum a rhetorica poetae ratione non aliena sit, ob id ipsum a Ribbeckio (l. c. pg. 104 sqq.) sincera haberi debuit. Id quidem illi, quamvis varias apud poetam nostrum digressiones videas (cf. Gust. Schoenaich Quaest. Iuv. pg. 26 not. 2), concedendum est, versus 143—148 cum saturae secundae totius ratione parum convenire, quippe quae virorum potissimum vitia monstruosa castiget. Sed eos cum Weidnero (pg. 63), quod dicendi genus a poeta haud abhorret, ad alteram saturarum recensionem a poeta ipso factam, quamvis acriter denuo repugnet huic sententiae Schoenaich (l. c. pg. 25 sqq.), referre licet. Namque versus sat. VIII 200—210 simillimos recensionem meliorem horum versuum propter Gracchi commemorationem in editione post poetae mortem curata in saturam II inculcatorum esse hoc uno saltem loco statuentes vix erermus.

Quae simplex ratio argumentandi in tertia quoque satura perspicua fit in locis minoribus. Versus enim 147 'Quid quod materiam praebet causasque iocorum || omnibus hic idem', . . . pauperes non solum Romae plane neglegi (vss. 125—147), sed inopiam eorum etiam ludibrio esse, demonstrare incipit. Versusque 302 'Nec tamen haec tantum metuas' . . . non tantum ab ebriorum petulantia (vss. 278—302) sed etiam a latronum invasione (vss. 302—34) pericula nocturna impendere docet.

Saturam quintam non plane ad ipsum cenae ordinem conformatam sed ad certas rationes animo conceptas compositam esse Teuffelius (cf. sat. a T. et Hertzbergio in Germ. lingu. vers. pg. 201) recte monet. Cum amplificationis enim poetae studio magis conveniebat primum in externo cenae apparatu (vss. 24—80), tum in cena ipsa (vss. 80—155) patroni iniquitatem describere. Versumque 51 'Non eadem vobis poni modo vina querebar? || vos aliam potatis aquam' Heinrichius (vol. II pg. 104) ob ean-

dem causam temere in dubium vocasse videtur[3]). Amplificationem versus quoque 156 continet. Iniuriae enim eo graviores sunt, si parasitum patronus eis afficit non avaritia captus sed idcirco, ut bilem ei concitet. In satura septima gradationis ratio perlucet in v. 217, quo loco grammaticos peiore etiam condicione uti quam rhetores, discipuli autem custodem nihilo minus ex mercede illorum aliquid sibi sumere poeta dicit.

Manifestissima sunt vestigia in satura octava. Nobilium probra turpitudine alterum alterum superant. Lateranus aurigae partibus vehementer gaudet (vss. 146—182); Damasippus in scenam prodit (vss. 182 - 199); Gracchus vero in arenam descendit (vss. 199—210). Quod vitium ut summum ita significatur v. 199: 'Haec ultra quid erit nisi ludus?'

Nec satura decima illis caret. In ipso enim saturae exordio in bonis pestiferis enumerandis amplificatione utitur Iuvenalis (v. 12 'Sed plures nimia congesta pecunia cura || strangulat et cuncta exsuperans patrimonia census', . .) sententiamque minorem in v. 208 sic exaggerat: 'Quid quod merito suspecta libido est ||, quae venerem adfectat sine viribus?'

In satura duodecima captatorum fraudes per vss. 99—114 descriptas v. 115 ('Alter enim, si concedas mactare, vovebit || de grege servorum magna et pulcherrima quaeque || corpora') hominum caedes commemorans amplificat. In satura quoque tertia decima scelerum numerum, quibus Calvinum amicum consolatur decem sest. iacturam graviter ferentem veneno (in v. 154) et parricidio (vss. 155 et 156) concludit. Non minus in satura quarta decima poeta a v. 4 usque 30 vitia ex malis parentum praeceptis profecta describens gradatim ad maius pergit, cum in vss. 25—30 de libidine et adulterio loquatur. Eamque rationem

---

3) Ut hic versus cum vexatissimo illo 'querebar' abrogari Iuvenali non debet, ita crimen interpolationis, quo Ribbeckius (l. c. pg. 107) et Wirzius (Zur Krit. d. 5. Sat. Iuv. Aarau 1868 pg. 7) versus 107—113 impugnant, diluendum est. Nam etsi Ribbeckius recte dicit saturae huic non id propositum esse, ut summis clientis iniuriis descriptis animos moveat, sed ut vilitatem eius iustas dare poenas significet, id tamen statui potest, ipsum poetam quamvis hoc concepto consilio res cotidianas depingendo defatigatum esse. Indignationem autem suam illum locis aliquot proferre et supra (pg. 16) vidimus et Strubeus (l. c. pg. 17) demonstrat, ubi de exclamationis figura a poeta usurpata disputat.

tenet a v. 190 explicans parentes liberos ad quaestum quocumque modo capiendum impellere, cum in vss. 199—205 sordidissimam lucri viam laudandam esse peroret.

Quibus absolutis satis compertum habemus Iuvenalem, cum simplicem plerumque rationem argumenta ex gravitate distinguendi sequatur, non ea ingenii alte evolantis et ubertate et fecunditate fuisse, ut orationem ab omni ieiunitate et languore avocaret neque ad putidum saepe molestumque delaberetur artificium. Immo ex particulis quoque in transitionibus ab eo usurpatis, quam operoso labore saturas composuerit, elucet.

§. 4. Particulae, quibus maiores iunguntur loci.

Saturarum scriptorem in disponenda apte figurandaque varie materie artis legibus minus astringi quam oratorem nemo non intellegit. Quam ob rem loci maiores in paucis tantum saturis distingui possunt, plerique tamquam minores enarrandi sunt. Quodsi ad locos maiores (cf. Seyff. l. c. pg. 14 sqq.) figuris certis quibusdam transitio fiebat, quales sunt: 'Venio', 'venio nunc', 'atque ut veniam', 'videamus nunc', 'deinceps', 'sequitur' vel iis, quae luculentiore ratione ad partitionem praegressam respiciunt, quales sunt: 'proximus est locus', 'restat', ex his formulis lege quadam constitutis nihil mutuatur nisi particulam 'nunc'. Contra ea in his locis maioribus transitionis formulas ad latiorem usum spectantes et quidem simplices, non proprie rhetoricas adhibet ab oratoribus veteribus ita usurpatas, ut intra locum maiorem ad locos minores transgrederentur (cf. Seyff. l. c. pg. 18—43). Occupationis quoque formula ei placebat, de qua tamen paulo infra disputabo.

His praemissis particularum rhetoricarum conspectum exhibeo.

I. Nunc.

III 268 'Respice nunc alia ac diversa pericula noctis:
quod spatium tectis sublimibus', . . .

'Alia pericula' verba hic leviter tantum, quae antecesserunt, perstringunt (tumultum diu noctuque tolerandum vss. 231—268), transitionem ad inferiorem locum non significant.

II. Nam.

Quod in amplificationis forma usurpatum semel legimus

I 30 . . . 'Nam quis iniquae

tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,
causidici nova cum veniat lectica Mathonis
plena ipso',

ubi apparet poetam locum de iniuriis (vss. 30—52) propter gravitatem praecipuam excipere voluisse ex ceteris, quare eam particulam posuit, quae cum ellipsi imitatur rhetorum illud: 'Nam quid ego dicam de' (Seyff. l. c. I pg. 34).

III. Porro.

Quod duobus locis invenitur et quidem interrogationis concitatae forma (Seyff. l. c. I pg. 41 sq.) argumentum eiusdem generis adiungens.

III 126 'Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod
pauperis hic meritum',

ubi divitias Romae longe plurimum valere (vss. 125—190) antecedentibus additur; atque item

VII 98 'Vester porro labor fecundior, historiarum
scriptores?'

ubi ex poetarum ad historiarum scriptorum (vss. 98—105) condicionem transitur.

Quod autem invenitur in sat. XI v. 9:

'Multos porro vides, quos saepe elusus ad ipsum
creditor introitum solet exspectare macelli',

ad argumentationem spectat, quia est in assumptione (recte interpretatur Weidnerus pg. 241) positum, in qua inveniuntur: 'autem', 'atqui', 'at', 'et', 'porro', 'iam', 'iam vero' (cf. Seyff. l. c. pg. 198 sq.). Vss. 5—9 continetur propositio (Pauperes, qui luxuriose vivunt, ad mendicitatem rediguntur), v. 9 assumptio (Multi id faciunt), v. 20 conclusio (Sic — 'ita fit, ut' — veniunt ad miscillanea ludi.).

In sat. VI v. 240

'Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
atque alios mores, quam quos habet? Utile porro
filiolam turpi vetulae producere turpem'

'porro' vim usurpat formulae 'immo vero'. Nam sententiam maiorem addit per ellipsin responso quod post interrogationem ironicam fingi debet negativo: Minime id facit mater. Utile porro . . . (cf. Wdn. pg. 136). Similiter in sat. X v. 208 'quidquod' in responso usurpatum videmus.

§. 5. Particulae, quibus minores iunguntur loci.

Simplices et proprie rhetoricas transitionis formulas, quibus intra locum eundem maiorem transitio fit, Seyffertus (l. c. pg. 19 — pg. 55) enumeravit. Ex quibus Iuvenalis his usus est:

A. Simplices transitionis formulae.

I. Nunc.

Haec particula, de qua §. 4 disputavi, ad minores quoque locos coniungendos vel ad singula argumenta enumeranda valet. Legimus enim

X 209 . . . 'Aspice partis
nunc damnum alterius. Nam quae cantante voluptas',

ubi aurium usus amissus (vss. 210—216) adiungitur antecedentibus senectutis incommodis. Atque item legimus

XVI 35 'Praemia nunc alia atque alia emolumenta notemus
sacramentorum',

ubi communia militiae commoda enumerantur (vss. 13—34. 35—50. 50—60). De locis autem IV 11. VII 36. IX 64. X 43 (Da nunc et volucrem) paulo infra videbimus.

II. Particulae copulativae: atque, et.

1) atque.

Quod Seyffertus dicit (l. c. pg. 19—33) 'atque' particulam varia disputationis puncta ut membri alicuius articulos manifeste significare et antecedentibus sententiis novi aliquid addere aut eas neglecta ratione, quae inter utramque intercedat, supplere ex duobus intellegimus locis, quibus Iuvenalis eam ex rhetorico usu ita usurpat, ut sententiam aliquam amplificet. Et primum videmus eam particulam

IV 150 'Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
tempora saevitiae',

ubi 'atque' conclusionem (vss. 150—154) inducit et narrationem illius concilii mirabilis absolvit. Perorationis loco in universum additur maiora etiam facinora in Domitiani regia facta esse.

Similiter legimus:

VI 335 'Atque utinam ritus veteres et publica saltem
his intacta malis agerentur sacra:'

ubi antecedenti explicationi de turpissimis mysteriis et orgiis (vss. 314—334) additur etiam publica sacra illa turpitudine foedari (vss. 335—345). Quod autem attinet ad

XII 93 'Nec suspecta tibi sint haec, Corvine: Catullus,
pro cuius reditu tot pono altaria, parvos
tres habet heredes',

latere hoc quoque loco particula 'atque' videtur et ita quidem, ut, quae opponi videntur, ea ante occupentur praesumptionis formula, quam Seyffertus (l. c. I pg. 20) commemorat: 'Ac ne ignores', 'ac ne quis forte putet'. Id praeterea et sententiarum nexu et constructione probatur. Per asyndeton enim ut dicunt alterum, quod sequitur: 'Catullus parvos tres habet heredes' secundum rhetorum usum adiungitur.

2) et.

III 114 'Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
gymnasia atque audi facinus maioris abollae'.

Hic locus magni momenti est primum, quod particula 'et' laxo (cf. Seyff. l. c. I pg. 26) vinculo Graecorum vitiis ceteris perfidiam adiungit (vss. 114—125), deinde quod coniunctione 'quoniam', id quod hic tantum apud Iuvenalem invenimus, causa tamquam propositionis loci eius additur: 'quoniam semel in eadem re versamur'. Ad transitionem vero quam proprie dicunt, de qua Seyff. (l. c. I pg. 67) disputavit, hic formula 'et quoniam' non spectat, quia quod antea tractatum est, Graecorum libido (vss. 109—113), non in ea commemoratur.

Id certum est, in hac quoque transitione rhetoricae Iuvenalis disciplinae vestigium superesse, sed id parum intellexerunt Teuffelius (cf. sat. ab eo et Hertzbergio in Germ. l. vers. pg. 189 et Rh. Mus. XX pg. 474), Ribbeckius (l. c. pg. 120), Weidnerus (pg. 75), qui hunc locum spurium iudicant.

Qui enim a Ribbeckio impugnatus acerrime est v. 114, Iuvenalem prodit auctorem, quippe qui non impetrare a se potuerit, ut famosae illius rei mentionem non faceret. Quod vero dicit mirum esse, quod poeta a v. 60 de Graeca urbe disputans id subito parare videatur, ut hac tamquam fortuito oblata occasione etiam copiosius de ea disserat, nullius est momenti, si, quam rhetorice transitiones Iuvenalis alias fingat, perpendimus. Weidneri autem coniectura 'increvit' pro 'coepit' iam a Wirzio (in rec. ed. Wdn. l. c.) iure damnata est. 'Transi' vocabulum non aliter accipi debet ac VI 602 et VII 190, ut scholiasta vetus interpretans: 'praetermitte minora eorum vitia et veni ad maiora' a vero non deflectat. Poeta enim ea notat vitia in gymnasiis facta, quae in Graecorum libidine describenda commemo-

rare licuit (cf. Ribb. l. c. pg. 121). Ex dicendi quoque genere versus Iuvenalis esse apparet. Vocabulum enim 'abolla' Iuvenalis in quarta quoque satura (v. 76) usurpat, vocem 'caballus' in sat. X v. 60 et sat. XI v. 95 [4]).

In enumerandis sententiis invenimus 'et'

XIV 119. 'Et pater ergo animi felices credit avaros,
qui miratur opes, qui nulla exempla beati
pauperis esse putat'

Primo aspectu dicas 'et' hic partes 'etiam' vocabuli agere ut permultis Iuvenalis locis, quod positus quoque vocabuli 'pater' significet. Sed in antecedentibus versibus non dixit Iuvenalis vulgus avaros animi felices putare, sed avari describuntur homines severorum morum; nam vss. 109 et 110 idem significant ac v. 11 sat. II. Ibi quoque talis vita virtutis speciem praebere dicitur. Versuum dispositio haec est: In secundo maiore loco (vss. 106—315) docet praeceptis parentum nasci solere avaritiam, omnium vitiorum summum. Vss. 107—123 causae afferuntur, quae patrem impellunt. I. Avarus homo speciem austeram prae se ferens tamquam certa rerum suarum tutela laudatur (vss. 109—114). II. Egregius adquirendi artifex laudatur (vss. 114—119). III. Ipse insuper, qui opibus omnia postponit, qui 'miratur opes et nulla exempla beati pauperis esse putat' (cf. sat. I 39 beatae), credit idcirco (ergo) felicem se filium redditurum. 'Et' hoc loco novum argumentum 'animi felices credit avaros' inducit, in quibus v. 119 verbis vis maxima inest.

Ac ne quis putet 'credere' apud Iuvenalem vim solum habere: 'id pro vero accipere, quod alii praecipiunt', comparo huius saturae v. 233 'Nemo satis credit (= satis esse putat) tantum delinquere, quantum || permittas' v. 286 'hic bove percusso mugire Agamemnona credit' (= opinatur) XV 142 'quis enim . . ulla aliena sibi credit mala?' (= opinatur) VI 1 'Credo Pudicitiam Saturno rege moratam . .', quod alii quoque permulti loci probant.

Absolvitur hic locus vss. 121 et 122 'iuvenes hortatur, ut illam || ire viam pergant' . ., postquam causae demonstratae sunt, ut altera pars sententiae causam tertiam, altera per asyn-

4) Ceterum vide, quibus aliis argumentis nisi hos versus a me propter rhetoricum colorem defensos Lupus (l. c. pg. 29) et Gustavus Schoenaich (Vind. Iuv. pg. 21 sqq.) a criticorum damnatione vindicent.

deton addita conclusionem contineat. Quare Iahnius in edit. min. recte leviore signo incidit.

III. Particulae adversativae: Sed, autem, vero.

1) Sed.

Haec particula (cf. Seyff. l. c. I pg. 27) vim habet, quae natura distant, distinguendi et antecedentia simul relinquendi, id quod demonstrant hi Iuvenalis loci:

I 117 'Sed cum summus honor finito computet anno,
sportula quid referat, quantum rationibus addat,
quid facient comites',

quo loco in degenerata clientelae natura describenda (vss. 94—146) summo honori (praetoribus) particula 'sed' adiunguntur comites i. e. ceterorum clientium turba (vss. 117—135) simulque expositio de divitiarum maiestate, in quam incidit poeta libertini procacis commemoratione (vss. 102—117), relinquitur.

II 65 . . . 'Sed quid
non facient alii, cum tu multicia sumas,
Cretice', . .

ubi verbis 'cum tu multicia sumas' additur viros vestes muliebres gestare (vss. 65—81), postquam a v. 35 usque ad v. 65 de turpi eorum vita dictum est.

VI 553 'Chaldaeis sed maior erit fiducia . .'

ubi dispositio loci haec est: (Vss. 508—591) Superstitione imbuta femina suis rebus ab hominibus mendacibus privatur a) a sacerdotibus Bellonae (vss. 511—542), b) ab Iudaea (vss. 542—547), c) ab haruspice (vss. 547—553), d) a Chaldaeis (vss. 553—569).

X 232 . . 'Sed omni
membrorum damno maior dementia', . . .

ubi in longae vitae malis describendis ab aegritudine corporis (vss. 216—232) ad mentis (vss. 232—240) transitur.

XI 136 'Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
pergula' . .

quo loco ex supellectile (vss. 130—135) ad ministros rusticos (vss. 135—161) transitur.

XIII 213 'difficili crescente cibo. Sed vina misellus
exspuit: Albani veteris pretiosa senectus
displicet'

Poeta de malae conscientiae poenis (vss. 210—236) disputat et a ciborum fastidio (vss. 212 et 213) ad vinorum (vss. 213—216)

transit. Multum sane probabilitatis habet ingeniosa Herelii coniectura 'Setina' (Klotz actt. litt. II pg. 113 sq.), de qua olim Ruhnkenius auctori gratulatus est. Atque ea post Weberi editionem in textum ab editoribus omnibus recepta est. Heinrichio, qui Rupertium (vol. I pg. 259) sequens hanc coniecturam in adnotationibus commemorat, initio quidem dubitationem movit pluralis numerus (vol. II pg. 475), sed ipse hunc scrupulum sibi exemit Horatii (Od. II 14. 25. Serm. II 8. 15) et Tibulli (III 6. 6) 'Caecuba' et 'Falerna' comparans. Sed Heinrichium recte Rahnius (Sel. capita de synt. Iuv. Hal. Sax. 1875 pg. 25) refellit, cum et pluralis numeri adiectivorum gentilium usum apud Horatium multo latius patere dicit et eundem aut plurali numero adiectivi 'vina' addidisse aut cum adiectivi gentilis numero plurali absolute posito singularem adiectivi gentilis non iunxisse docet. Quod vero Scholtius (l. c. pg. 98) etiam 'Setina' apud Mart. (l. IV ep. 69) inveniri demonstrat, nullius momenti est, quia in altero illius epigrammatis versu verba sequuntur 'sed rumor tam bona vina negat'.

Verumtamen ego non video, cur lectio, quam praebet cod. P, utique emendatione egeat.

Herelius (cf. Rup. vol. I pg. 291) haec vini genera etiam in sat. V vss. 33 et 34 coniungi monet; eius coniecturam Rupertius loco X 27 'lato Setinum ardebit in auro' firmari existimat. Sed ille ipse locus, quod est plane contrarium, demonstrare mihi videtur. Namque ut hic vinum Setinum cum Albano coniunctum non legitur, cur fieri non possit, ut Albanum sine illo apud Iuvenalem commemoretur, non intellego [5]. 'Sed vina' autem explanari bene potest. Heinrichius sane, qui (vol. II pg. 474) ad 'faucibus siccis' verba, siquidem tenenda sunt, ita refert, ut 'sed' idem valeat, quod 'sedtamen', errat (sic ib. explicat: 'Der Hals ist trocken, aber doch schmeckt ihm kein Wein'). Immo 'sed' particula cum amplificatione quadam ad vinum transitum facit. (Cibos repudiat. 'At ex bibendo ille voluptatem capit.' Sed etiam vina fastidium movent.) Pluralis denique numerus recte se habet, quod verbis v. 215 'ostendas me-

5) Similiter in sat. XV v. 124 Marklandius (ad Stat. silv. IV 2. 38) pro 'Britones' proposuit 'Teutones', quippe quod vocabulum cum 'Cimbri' melius conveniat. Sed refutat eum Heinrichius (vol. II pg. 509) coll. VIII 249.

lius' vinum alius notae praeter Albanum poni fingitur. Ac Bergium video (cf. vers. Germ. pg. 276) recte lectionem Pithoeani tenuisse.

XIV 81 'Sed leporem aut capream famulae Iovis et generosae
in saltu venantur aves', . .

Loci dispositio haec est: Idem imitandi studium, quod in hominum vita cernitur, nobis animalia ostendunt (vss. 74—85): a) ciconiae (vss. 74—76), b) vultures (vss. 77—80), c) aquilae (vss. 81—85).

Quod autem XIV 177 legimus:

. . 'sed quae reverentia legum,
quis metus aut pudor est umquam properantis avari?'

in assumptione positum videtur pro particula 'autem' (cf. Seyff. l. c. I pg. 198 sqq.). Propositio v. 176: Dives fieri qui vult, et cito vult. Assumptio v. 177: Reverentia autem legum non est in eo, qui cito vult dives fieri. Conclusio iam in vss. 173—175 inest: Ita fit, ut ii, qui divites fieri cito volunt, scelera committant.

Cum 'sed' alteram relinquat expositionem, alteram inducat, Germanice vertimus 'doch' (cf. Seyff. l. c. I pg. 27). Non mirum igitur, si Iuvenalis poeta, cui insuper metri ratio habenda est, nonnullis locis 'tamen' ponit, ubi secundum rhetorum usum 'sed' particula locum habet.

Huc pertinent loci, de quibus paulo infra figuram transitionis tractans disputabo: VI 413. 434 (illa tamen gravior, quae = sed illa gravior). 569. 592. 614.

2) autem.

Particula 'autem', ut Seyffertus (l. c. I pg. 27 sqq.) docet, eam vim habet, ut novam quidem rem significet, sed locos minores sententiae alicui universae subiungat et annectat (Germanice vertimus 'ferner'). Ita usitatam videmus apud Iuvenalem:

XI 90 'Cum tremerent autem Fabios durumque Catonem . .
nemo inter curas et seria duxit habendum,
qualis in Oceano fluctu testudo nataret', . .

ubi a v. 90 usque ad v. 98 de supellectile disputatur, postquam a v. 77 usque ad v. 89 cena tractata est.

Kiaerus, ubi (l. c. pg. 96) de hoc loco disputat, recte dicit verba 'Cum tremerent autem' . . . tempus, quo 'cognatorum aliquis — ibat' certius definire. Sed neque superioribus tantum neque subsequentibus adiunguntur, sed utroque spectant. Quod

vero ille voces eas superioribus sic adiungere vult, ut post 'ligonem' (v. 89) commate et post 'timeret' (v. 92) puncto incidat, fieri id nullo modo propter particulam 'autem' potest. Quae propositio Thurotio quoque (Revue critique 1875 pg. 258—262) incredibilis videtur. Tempus idem est, sed ad supellectilem transitur. Quare in v. 99 sic concluditur: 'Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex.'

3) vero

quae particula amplificat antecedentia et cum vi quadam nova argumenta inducit ('vollends' cf. Seyff. l. c. I pg. 30), adhibetur XIII 84 in enumeratione periurii graduum (vss. 70—85):

'Si vero et pater est, 'comedam', inquit, 'flebile nati
sinciput elixi Pharioque madentis aceto'

ut summus significetur gradus.

IV. Particulae causales: nam.

Particulae 'nam', quae nova argumenta in transitionibus figura occupationis inducit, duplicem esse rationem Seyffertus (l. c. I pg. 32 sqq.) ostendit. Nam duplici modo orator homini ficto alicui interroganti: cur non de ea re disputas? occurrere potest. Ac primum rationem reddens, cur nunc demum disputet, respondere potest rei magnitudinem id postulasse, ut locum reservaret, ubi amplius de ea disputaturus esset. Quod si fit, formulae est locus: 'Nam quid ego dicam de' . . . et 'nam' vim habet amplificationis. Sed illud quoque fit, ut rei parvitatem non prius commemorationem eius postulasse demonstret. Quae altera vis potius ad occupationem, quae argumentationis est, pertinet vel ad praeteritionem, quod res paucis tantum absolvitur. Atque hoc quidem loco respicienda nobis altera particulae vis est, quae ad amplificationem spectat, de altera paulo infra videbimus.

III 257 'Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
axis' . . .

ubi poeta Romae interdiu nisi summo vitae discrimine non posse per hominum turbam pervadi demonstrans plaustra saxis onerata ceteris serracis adiungit (vss. 257—267).

VI 133 'Hippomanes carmenque loquar coctumque venenum
privignoque datum?' . . .

Quem locum primo aspectu ad praeteritionis figuram revoces, in qua usitata erat formula 'quid loquar de' (cf. Seyff. l. c. I pg. 90). Sed recte hos versus enarrasse videtur Schoenaich (Quaest. Iuv.

pg. 31), qui cumulum iis quasi afferri praecedentibus existimat: ‘privignos, si modo resistant, cogere audent, ut libidini suae satisfaciant.

Similiter ac supra pro sed ‘tamen’ pro nam ‘enim’ posuisse mihi videtur poeta hoc loco:

XII 115 ‘Alter enim, si concedas mactare, vovebit
de grege servorum magna et pulcherrima quaeque
corpora’,

ubi parati esse elephantorum victimam humanis victimis superare (vss. 115—120) captatores dicuntur.

Huc non pertinet

III 132 ‘Divitis hic servi latus cludit ingenuorum
filius; alter enim, quantum in legione tribuni
accipiunt, donat Calvinae vel Catienae’,

quem locum Weidnerus (pg. 77) ellipsin verbis inesse statuens male de novo adulescentium genere intellegit hac in re Hermannum (Spicilegium annotationum in Iuvenalis saturam III. Marburgi 1839 pg. 24) secutus. Summo autem iure Iongius (l. c. pg. 22 sq.) Weidneri interpretationem repudiat cum Meinertzio (l. c.) et Wirzio (Philol. Anz. VI pg. 551—561). Namque ‘alter’ ad eundem illum divitem pertinet, recteque monuit Iongius ad divitiarum dominationem ostendendam omnia spectare neque cogitandum esse de adulescentibus prodigis ac dissolutis. Insuper mihi videtur versibus 132 et 133 sententia sequens, quae inest v. 140 ‘protinus ad censum, de moribus ultima fiet || quaestio’, leviter iam antea significata esse: nobilium filii latus servorum turpi vita infamium quidem sed divitum claudunt. Alium quoque locum

III 200 . . . ‘iam poscit aquam, iam frivola transfert
Ucalegon, tabulata tibi iam tertia fumant:
tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis,
ultimus ardebit’,

falso interpretatur Weidnerus (pg. 83) ‘nam si’ pro ‘iam vero si’ positum esse statuens (‘wenn aber’), quod Meinertzius et Wirzius (l. c.) respuunt. Gradatio hic locum non habet, nam incendium plano pede exortum mihi non tam periculosum ei videtur quam tabulata tertia igne correpta, quae utique paulo infra eum, quem, ut Iuv. verbis utar, ‘tegula sola tuetur’, in summa altitudine ardentia finguntur, qua re ‘nescis’ vocabulum explanatur. Praeterea recte Iongius (l. c. pg. 23) de ironia, quae hoc continetur

loco, monet. Cum eo igitur cumque Friedlaendero (Burs. Jahr. J. I 1873 Bd. 2 pg. 1142 sq. in rec. Scholt.) Scholtius eiciens (l. c. pg. 27) hunc versum vituperandus est.

De duobus autem locis, II 5 et X 204 infra disputabitur, quia ad alterum genus, occupationem dico, spectant.

Restat, ut videamus de

V. Adde, praeterea.

1) Adde.

'Adde' particulam aut cum simplici obiecti casu aut ita usurpatam esse, ut sententia aliqua coniunctionibus 'quod' vel 'ut' inducta ex illa pendeat, enumerationique servire Seyffertus (l. c. I pg. 39 sq.) docet.

a) in enumerandis singulis verbis.

Iuvenalis pro 'huc', quod apud antiquos oratores invenitur, 'et' (= etiam) addit, cuius generis haec profero exempla:

XII 46 'Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnae cratera capacem
et dignum sitiente Pholo vel coniuge Fusci;
adde et bascaudas et mille escaria'.

XIII 82 'perque tuum, pater Aegaei Neptune, tridentem;
addit et Herculeos arcus hastamque Minervae',

ubi manifestum est poetam formulam 'adde' memoria quidem tenuisse sed ad verbi personam in versu antecedente 78: 'Per Solis radios Tarpeiaque fulmina iurat' conformasse. Atque coniunctio haec monet de illa veterum 'addunt etiam', quae in enumerandis aliorum argumentis usurpari solebat (cf. Seyff. l. c. I pg. 39).

Atque huc pertinet illud quoque:

X 43 'Da nunc et volucrem, sceptro quae surgit eburno', quo versu antecedentes (vss. 36—40) continuantur. Pro 'adde' hoc loco 'da' positum esse videmus. Praeterea hic locus demonstrat Iuvenalem particulam 'nunc' non solum in minoribus argumentis sed etiam singulis rebus enumerandis adhibuisse.

Transeamus nunc ad eam formam, quae usurpatur

b) in enumerandis sententiis.

Invenimus apud Iuvenalem elocutionem 'adde quod', qua formula argumentum aliquod novum accedens ad alias alicuius rei causas significatur. Legimus eam

XV 47 'Adde quod et facilis victoria de madidis et
blaesis atque mero titubantibus'.

Altera haec causa consilii est, quod v. 38 sq. commemorabatur:

. . 'Sed tempore festo
alterius populi rapienda occasio cunctis
visa inimicorum primoribus ac ducibus',

postquam v. 41

. . ne
laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia cenae
sentirent' . .

prima causa dicta est.

Quem sententiarum nexum Palmius (De Iuv. sat. XV. Hal. Sax. 1882 pg. 6) parum intellexisse videtur, qui duas digressiones in vss. 44—48 Iahnium[2] et Meinertzium (Zur Krit. u. Erkl. pg. 13) sequens poetae abiudicat. Nam alteram ille digressionem (vss. 47 sq.) propter id ipsum ineptam esse dicit, quod summus ebrietatis gradus his verbis indicatus a ratione carminis alienus sit, quodque vix credi possit homines tam ebrios ab ieiunorum impetu tamdiu tamque fortiter se defendisse. Sed has cogitationes poetam Tentyritis subdere tantum apparet.

XIV 114 . . 'Adde quod hunc, de
quo loquor, egregium populus putat adquirendi
artificem'

Haec altera causa est, cur iuvenes 'solam | inviti quoque avaritiam exercere iubentur' (cf. vss. 107 et 108). Prima causa haec est (cf. pg. 417 h. d.): avarus homo speciem severam prae se ferens rerum suarum tutela certa laudatur (vss. 109—114). Disputandum deinceps est de:

2) praeterea.

Ea particula, quae vim habet membra seriei alicuius conectendi (cf. Seyff. l. c. I pg. 38), Iuvenalis saepe utitur et quidem non solum in enumeratione sed etiam ad coniungendos inferiores locos. Quare primum videamus

a) praeterea in transitione ad inferiores locos.

III 109 'Praeterea sanctum nihil est nec ab inguine tutum.' Cohaerentia sententiarum haec est: Graeci artem adulationis assentationisque callent (vss. 85—109); libidinibus dediti sunt (vss. 109—113).

X 217 'Praeterea minimus gelido iam in corpore sanguis
febre calet sola',

ubi ceteris senectutis incommodis (vss. 210—216 usus aurium

amissus tractatus erat) aegritudo corporis (vss. 216—232) mentisque (vss. 232—240) additur.

XIII 229 'Praeterea lateris vigili cum febre dolorem
si coepere pati, missum ad sua corpora morbum
infesto credunt a numine'

In mala conscientia hominum improborum describenda, postquam de tempestatum timore dictum est (vss. 223—229), additur opinari eos morbum quemvis, quod divinitus acciderit, esse insanabilem (vss. 229—235).

XVI 25 'Quis tam procul absit ab urbe
praeterea, quis tam Pylades, molem aggeris ultra
ut veniat?'

A versu 22 usque ad v. 25 dicitur causidicum inveniri non posse propter periculum causae, vss. 27—35 additur ne testem quidem exquiri posse.

XVI 50 'Solis praeterea testandi militibus ius
vivo patre datur.'

A v. 50 usque ad v. 60 demonstratur militibus testandi ius vivo patre esse, postquam vss. 35—50 causas privatas militum sine mora expediri posse dictum est.

Si vero collocationem particulae respicimus, tribus locis (III 109. X 217. XIII 229) videmus eam genuinam adverbii vim amplexam (cf. Seyff. l. c. I pg. 38) primum locum tenere, ceteris secundum comprehensionis, aeque atque apud veteres oratores fiebat mutatio.

Iam pergamus ad particulae in enumeratione usum.

b) praeterea in enumeratione vel distributione.

Cuius usus sunt haec exempla:

VI 107 . . 'Nam Sergiolus iam radere guttur
coeperat et secto requiem sperare lacerto;
praeterea multa in facie deformia, sicut
attritus galea mediisque in naribus ingens
gibbus',

postquam a v. 103 dicere coepit poeta Eppiam non pulchritudine captam potuisse moechum ad Nilum sequi.

IX 89 'Legatum omne capis nec non et dulce caducum.
Commoda praeterea iunguntur multa caducis,
si numerum, si tres implevero',

Enumerantur in vss. 88—90: legatum omne — dulce caducum — commoda futura.

IX 145 'Sit mihi praeterea curvus caelator et alter,
qui multas facies pingit cito'

A v. 140 usque ad v. 146 vota cinaedi enumerantur: fenus — argenti vascula — duo fortes de grege Moesorum — caelator et pictor.

X 300 'Sanctos licet horrida mores
tradiderit domus ac veteres imitata Sabinos,
praeterea castum ingenium vultumque modesto
sanguine ferventem tribuat natura benigna
larga manu',

ubi (vss. 298—302) enumerantur: sancti mores — castum ingenium vultusque modestus.

XI 70 'Grandia praeterea tortoque calentia feno
ova adsunt ipsis cum matribus'

Antecesserunt a v. 65: Haedulus — montani asparagi.

Duobus hic invenimus locis (VI 107 et X 300) particulam 'praeterea' primum locum tenentem, tribus secundum.

B) Formulae transitionis proprie rhetoricae.

I. Quid?

'Quid' particula in transitionibus nude posita (G. v. 'wie stehts mit?') non solum novam rem significat sed auditores urget et, ut concedant, cogit (cf. Seyff. l. c. I pg. 46 sq.).

Sed in transitionibus apud Iuvenalem haec particula non invenitur. Nam quod legimus

VI 190 'Hoc sermone pavent, hoc iram gaudia curas,
hoc cuncta effundunt animi secreta: quid ultra?
Concumbunt graece',

non in enumeratione formulae rhetoricae amplificationis causa partes tenet sed per ellipsin explicari et cum illo Iuvenalis loco conferri debet:

VIII 199 'Res haud mira tamen citharoedo principe mimus
nobilis. Haec ultra quid erit nisi ludus?'

nec ad partitionem sed argumentationem locus alter pertinet:

X 183 'Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,
in Corum atque Eurum solitus saevire flagellis
barbarus, Aeolio numquam hoc in carcere passos,
ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigaeum —
mitius id sane; quid? non et stigmate dignum
credidit?'

Hoc loco 'mitius id sane', quod dixit poeta, sententia sequenti confirmatur et particula 'quid' usurpatur ut in argumentatione; nam demonstrationem aliquam aut refutationem inducere solet (cf. Seyff. l. c. I pg. 50).

Sequitur, ut videamus de 'quid quod' et 'quid si', quibus nova et firmiora argumenta introducuntur. Sed in altera 'quid si' iudicii auditorum quasi ratio haberi et probatio eorum exspectari solet, in altera argumentum tamquam firmum iam constat (cf. Seyff. l. c. I pg. 48 sq.).

Ac

II. 'quid quod' occurrit

a) in minoribus locis iungendis.

III 86 'Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
sermonem indocti, faciem deformis amici'

In Graecorum descriptione (vss. 57—125) primo loco, quo artificia sordida afferre dicuntur (vss. 57—85), assentatio additur adulatioque eorum (vss. 85—109).

III 147 'Quid quod materiam praebet causasque iocorum
omnibus hic idem'

Dicit poeta hoc: Pauperes, cum divitiae plurimum Romae valeant (vss. 125—190), plane negleguntur (vss. 125—147) atque etiam ludibrio habentur (vss. 147—163).

b) in amplificandis singulis dictis vel affirmationibus.

VI 45 'Quid quod et antiquis uxor de moribus illi
quaeritur? o medici, nimiam pertundite venam!'

His verbis amplificatur, quod in vss. 41—45 reprehensionis forma est praemissum: 'Quid fieri non posse putes, si iungitur ulla || Ursidio?'

X 208 'Quid quod merito suspecta libido est,
quae venerem adfectat sine viribus?'

quibus verbis amplificatur v. 207 'Anne aliquid sperare potest haec inguinis aegri || canities?', qui respicit ad versus 204—207.

III. quid si.

In satura VIII poeta, quod in exordio dixit (vss. 1—38) imagines et stemmata nihil valere ad dignitatem, virtutem solam esse nobilitatem, per totam saturam demonstrandum suscipit. Ac postquam vss. 140 et 141 id rursus praecipit, ostendit nobiles sibi summis vitiis omnium contemptionem contrahere. Namque, ait poeta, aurigarum partes tenent (vss. 146—182), histriones (vss. 182—199), gladiatores (vss. 199—210) sunt.

Atque ad histriones mirabilis fit haec transitio:

VIII 183 'Quid si nunquam adeo foedis adeoque pudendis
utimur exemplis, ut non peiora supersint?
Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli'.

Hoc loco, quem iam supra commemoravi, copiosa loquacitate natura quasi ac vis formulae 'quid si' ipsa explicatur perspicueque significatur argumenta per inductionem conecti (= ne illud quidem si audis, credes, quod a v. 140 dico?) pro simplicibus verbis: Quid si consumptis opibus vocem Damasippus locavit? (cf. Seyff. l. c. I pg. 49). Similiter legimus:

XIII 72 'Intercepta decem quereris sestertia fraude
sacrilega? Quid si bis centum perdidit alter
hoc arcana modo?'

V. 71 repetitur exordium (vss. 1—22): Malum, quod tibi accidit, non tantum est, ut non solacium praeberi possit. Ac primum solacium est mores bonos huiusmodi temporibus non iam postulandos esse (vss. 22—70). V. 72 transitur ad secundum locum: 'iactura tua, si cum aliorum comparabis, est exigua' (vss. 70—174). Ac post degressionem (vss. 75—120) alia scelera maiora enumerantur (a v. 144).

Eius particulae vim Iuvenalis formulae ex sermone cotidiano (cf. Heinr. vol. II pg. 268) petitae 'cedo si' subiecit, quam legimus:

XIII 210 'Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
facti crimen habet: cedo si conata peregit?'

VI 504 'post minor est: credas aliam. Cedo si breve parvi
sortita est lateris spatium breviorque videtur
virgine Pygmaea, nullis adiuta cothurnis,
et levis erecta consurgit ad oscula planta?'

De ea igitur formula, quae in particulae formam transit, recte Kiaerus (l. c. pg. 132 sq.) contra Heinrichium disputavisse videtur statuens in ipsius particulae usu ellipsin inesse falsoque Heinrichium signa interrogationis delere. Convenit id cum mea opinione; statuo enim 'cedo si' idem apud Iuvenalem valere ac 'quid si' (G. v. 'nun, wie stehts dann, wenn') Quare Rupertius (vol. II pg. 348) loc. VI 504 recte Germanice reddit: 'Wie, wenn sie gar von Natur sehr klein ist?'

IV. Ecce

in enumerandis exemplis vel argumentis adhibetur, ut animum

ad novum aliquid et inopinatum convertat (cf. Seyff. l. c. I pg. 54). Huc quidem non traho illum locum, qui, si Weidneri coniecturam accipimus, legitur:

II 98 'En per Iunonem domini iurante ministro
ille tenet speculum',

ubi 'en' locum particulae 'ecce' teneat (Galli describuntur: ille producit v. 94 — vitreo bibit ille priapo v. 95 — en per Iunonem . . ille tenet speculum v. 98).

Summo enim iure Wirzius (in rec. ed. Wdn. l. c.) emendationem 'en' repudiat et Pithoeani cod. lectionem 'et' retinet. Cum autem 'et' membrum ultimum post duo per asyndeton iuncta (ille — ille — et ille) inducens apud Iuvenalem non inveniatur, Heinrichius et Hermannus post 'ministro' puncto incidentes locum recte interpretantur. Iahnius vero (ed. mai. 1851) falso putat excidisse aliquid, cum Kiaerus (l. c. pg. 150) recte demonstret ablativum consequentiae copulative adiunctum apud Iuvenalem periodum claudere. Recte confert ille locum VI 120, ubi cum Rupertio post 'galero' (v. 120) incidit, ut nota Weidneri (pg. 126) temporum mutationem singularem dignam esse, quae commemoretur, statuentis supervacanea videatur. Eodem iure in sat. VI 538 Wirzius et Meinertzius (in rec. ed. Wdn. l. c.) coniecturam 'en' reiecerunt. Ibi enim manifestum est apodosin, quae est a v. 539 usque ad v. 541, non versui 538 solum respondere sed versibus a v. 536 incipientibus. Quibus addo, omnibus locis, quibus cod. Pith. 'en' praebet ceteris (II 72. VI 531. IX 50), accusativum casum ex illa voce pendere sequente relativa sententia et coniunctivo verbi.

Sed potius huc pertinent:

V 67 'Ecce alius quanto porrexit murmure panem
vix fractum',

nam demonstrans Iuvenalis a patrono inter cenam neglegenter tractari parasitum (vss. 24—155) a ministrorum descriptione (vss. 52—66) hoc versu ad panis transit (vss. 67—80).

et XII 24 'Genus ecce aliud discriminis audi
et miserere iterum, quamquam sint cetera sortis
eiusdem pars dira quidem sed cognita multis'

Propositione quodammodo in v. 17 data ('nam praeter pelagi casus et fulminis ictus || evasit') v. 24 altero brevissime absoluto loco (vss. 18—24) particula 'ecce' transitur ieiuna sane

sententia praemissa 'quamquam sint cetera sortis || eiusdem pars ..' ad pelagi casus (vss. 24—83).

Quod Iuvenalis ipse — non acute, fateor — distinxit, parum intellegit Otto Haenicke in commentatione sua (Krit. Unters. üb. die Echtheit der 12. Sat. von Iuv. Putbus 1877). Qui descriptionem versuum 24—83 Iuvenalis quidem sed poetas pusillos aetatis suae dedita opera imitando illudentis per totum libellum suum persequitur. Sed Friedlaenderus (Burs. Jahresb. 9 u. 10. J. 5. 1877. Abth. 2 pg. 311 sq.) et Gustavus Palm (De sat. Iuv. XV 1882 praef. pg. 1) hanc opinionem recte refellunt.

Atque Haenickius dicit (pg. 10 l. c.) vss. 22—24 'Omnia fiunt || talia — tempestas' id significare Ribbeckioque statuenti his versibus tempestatis maritimae descriptionem finiri (l. c. pg. 30) opponit immo eam usque ad v. 82 tractari et ita, ut 'magis poetica' i. e. minus verisimilis cogitari nequeat.

Sed qui 'tempestas' vocem interpretari recte vult, rationem habere debet propositionis, ut supra dixi, v. 17 ab Iuvenale ipso datae. Atque a verbo 'densae' (v. 18) omnia spectant (cf. Heinr. vol. II pg. 444) ad voces v. 17 'fulminis ictus' ('Gewitter') et descriptio huius tempestatis vss. 23 et 24 absolvitur. (Sententiam verbis G. sic reddo: 'kurz, ein Gewitter, wie es sich nach Dichtern auf dem Meere erhebt, kann nicht ärger sein.') Talem conclusionem esse debere nexus sententiarum docet. Quare lectio Iahnii 'quam quando' ab Heinrichio pro 'si' Pith. cod. Schurzfleischio auctore commendata (l. c.) accipiatur necesse est, praesertim cum scholiasta similiter rem enarret.

Inque v. 24 Haenickius 'genus ecce aliud' verba (pg. 15) hoc modo explicat: 'Es kann mit diesen Worten also nur bezeichnet werden der Versuch Catulls den Gefahren Herr zu werden.' Sed res simplicius explicanda est ex v. 17 (pelagi casus), ut Heinrichius (vol. II pg. 444) recte interpretetur 'die Gefahr zu versinken'. Magna sonans enim poeta incipit, sed sequuntur parva: transit ad naufragii quod dicunt descriptionem. Ac 'discrimen', quod convenit cum v. 15 verbis 'horrendaque passi' significat ea omnia, quae ille in cursu maritimo passus est. Quare pro 'genus aliud' dicere potuit poeta 'genus alterum', sed propositionis rationem non habens cum antecedente solum genere confert. His non officiunt, ut Haenickius opinatur, vss. 25—26, sed 'cetera' sunt ea, quae narraturus est, 'sortis eiusdem pars', quae verba

Heinrichius quoque (l. c.) falso exposuit. Non enim 'quamquam' particulae 'quoniam' vel 'cum' vim habet, quibus significetur, poetam de iis rebus dicere nolle. Versus denique 29 'Accidit et nostro similis fortuna Catullo' congruit cum enarratione mea et rem ipsam inducit.

Quibus locis ipsa coniunctio particulae 'ecce' cum pronomine 'alius' novum quiddam significat (cf. Seyff. l. c. I pg. 54).

Et quoniam adhuc tractavi eas particulas, quae ad locos minores conectendos ex usu rhetorico adhiberi solebant, ne illa quidem particula mihi est praetermittenda, quae ex argumentatione est repetita.

V. De particula an.

Quam particulam in argumento ex contrario a rhetoribus creberrime usurpatam Iuvenali quoque valde frequentatam fuisse dicere omisit Strubeus (de rhet. Iuv. disc. pg. 16), sed demonstraverunt Kiaerus (l. c. pg. 168) atque iterum Ricardus Weise (Vind. Iuv. Hal. Sax. 1884 pg. 54) et Vahlen (Ind. lect. aest. Berol. 1884). Quare denuo de eadem re disputare supersedeo. Sed magis ille particulae usus huc pertinet, ex quo in disputatione contra rem eadem vel ad novum argumentationis locum transitionem fieri posse Seyffertus (l. c. I pg. 117) docet. Saepe enim 'an' non ad antecedentem proxime sententiam pertinet sed longius spectat ad propositionem totius loci velut in Cic. Tusc. I §. 4 (cf. Seyff. l. c.). Sic illam particulam apud Iuvenalem semel invenimus adhibitam, ubi manifestum est eam non antecedentem sententiam contrario probare velle.

III 93 'An melior, cum Thaida sustinet aut cum
uxorem comoedus agit vel Dorida nullo
cultam palliolo?'

Quibus verbis non antecedentia in v. 92 'Haec eadem licet et nobis laudare, sed illis || creditur' probantur, sed cum poeta vss. 85—109 exponat, arte adulationis versutiaque excellere Graecos, rem ita dividit, ut dicat et in circulis (vss. 85—93) id videri posse et in scaena (vss. 93—109).

§. 6. Transitio quam proprie dicunt.

Seyffertus de variis transitionis propriae formulis a pg. 62 usque ad pg. 75 disputat. Quibus illud commune est omnibus, ut, quae dicta sint, breviter ostendant, quidque sequatur,

brevi proponant. Quarum formularum Iuvenalis eam usurpat, quam Seyffertus septimam enumerat, qua quae antea dicta sunt, non repetuntur sed praedicato aliquo comprehenduntur et similiter novi qui inducitur loci propositio opponitur.

Cuius transitionis colorem ostendunt loci duo.

In satura XIII poeta, si dispositionem saturae respicimus, vss. 192—236 demonstrat a diis periuros homines re vera gravi poena affici; ac primum quidem (vss. 192—210) graves dare poenas ipsam peccandi voluntatem tum graviores factorum conscientiam (vss. 210—236). Ab altero ad alterum locum transitio fit v. 210 ita, ut de transitione a rhetoribus usurpata moneamur:

XIII 210 'Has patitur poenas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat illum,
facti crimen habet: cedo si conata peregit?'

Alter locus est in satura quinta:

V 51 'Non eadem vobis poni modo vina querebar?
Vos aliam potatis aquam',

ubi brevissime, non pluribus de hac re disputans poeta vss. 49—52 addere vult parasitum a patrono neglegenter tractari, non solum quod attineat ad vinum et vasa (vss. 25—49) sed etiam ad aquam. V. 51 igitur Iuvenalianum esse mihi cum Vahlenio (Ind. lect. aest. Berol. 1884 pg. 11) persuasum est, nec Wirzio (Zur Krit. d. 5. Sat. Iuv. Aarau 1868 pg. 9) aliisque eum delentibus obtemperandum esse videtur; nam quod verbis manifestis inter se opponitur, clienti non aliud tantum vinum sed aliam aquam ac domino praeberi, Iuvenalis amplificantis est. Nec versus, si concitatiore ut in recitationibus fiebat numero saturam lectam esse perpendimus, nexum sententiarum dirimit. Signum vero interrogationis, quod Hermannus Ribbeckius Weidnerus ponunt, delendum est; nam hic versus ad Iuvenalis usum superiora breviter colligendi prope accedit, quod Vahlen (l. c.) recte sensit. Cum hi loci, ut supra dixi, transitionis formulae speciem redoleant magis quam ipsam referant, quod cum sententiis antecedentibus arte cohaerent, apertius elucet illa ex sequenti:

VI 114 'Quid privata domus, quid fecerit Eppia, curas?
Respice rivales divorum, Claudius audi
quae tulerit',

ubi alterum gravius exemplum impudicitiae feminarum (vss. 114—135) alteri (vss. 82—114) adiungitur.

Transitionem saepe cum revocatione coniunctam esse et exempla docent a Seyfferto (l. c. pg. 63) prolata velut Cic. de off. II 52 'Sed expositis adulescentium officiis, quae valeant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia dicendum est' et apertius exempla in pg. 72 enumerata velut Tusc. I 100 'Sed quid ego Socratem aut Theramenem commemoro, cum Lacedaemonius quidam . . mortem tanto opere contempserit', et Seyffertus ipse (pg. 73) explicat.

Quod si fit, significatur alterum quod inducitur exemplum altero antecedente gravius esse. Elucet id ex revocationis formula simili, quae legitur apud Cic. p. Flacco §. 94 (Seyff. pg. 93) 'Sed quid ego de epistulis Falcidii — tamdiu disputo, de salute omnium taceo?'

Huc spectat VI 398

'Sed cantet potius, quam totam pervolet urbem
audax et' . .,

ubi brevissime se de feminis musices peritis in antecedentibus versibus (vss. 379—397) dixisse et de rerum novarum appetentibus (vss. 397—413) dicturum significat Iuvenalis. Et quoniam argumentatio per inductionem valde ei arridet, ut supra pluribus demonstravi (pg. 406 sqq.), non mirum est, si transitionis formulae eae, quae eandem vim habent atque illa a Cicerone p. Planc. §. 86 (Seyff. pg. 74) usurpata 'Sed haec leviora; illa vero gravia atque magna', saepius apud eum occurrunt. Hos ad amplificationem spectantes locos ibidem laudavi (VI 413. 434. 569. 592. 614) et pro 'sed' hic 'tamen' usurpatum esse iam statui.

§. 7. Revocatio.

Revocationem a reditu ad propositum seiungi debere Seyffertus (pg. 81) docet. Quarum formularum altera post expositionem longiorem et in res minores aberrantem adhibetur, ut expositionis finis fiat et ad novum aliquid transeatur. Ac praeter locum III 315 'His alias poteram et pluris subnectere causas', qui quidem (cf. Meinertz. Zur Krit. u. Erkl. Iuv. Konitz 1871 pg. 18) rhetoricam finiendae explicationis rationem redolet, revocationis ipsius usus haec profero exempla:

1. Revocatio omissa particula.

VIII 71 'Haec satis ad iuvenem, quem nobis fama superbum
tradit . .

. .; sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim sic, ut nihil ipse futurae
laudis agas.'

Verba 'haec satis ad' monent de rhetorum 'sed haec quidem hactenus; — te autem . . (= sed v. 74)'; antecedentia finiunt (vss. 39—70 dixit poeta animalia tantum fortia generosa putari) et ad novum transducunt (Quae, ut insignis fiat, nobilis facere debeat. Vss. 70—146).

Particula revocationis 'sed' ('verum') hic omissa aliis ponitur locis.

2. Revocatio particula inducta.

IX 70 'Verum, ut dissimules, ut mittas cetera, quanto
metiris pretio, quod, ni tibi deditus essem
devotusque cliens, uxor tua virgo maneret?'

Naevolus enim queritur apud divitem hominem nihil valere preces suas dicentis se rebus domesticis poscere coactum esse (vss. 63—70), se illi magnae fuisse utilitati (vss. 70—89) et etiam futurum esse (vss. 89—91).

Ad praeteritionem autem ideo non trahendus est locus, quod quae omittantur non significatur, sed 'cetera' ad antecedentia spectant; comparanda est haec formula: 'Verum haec missa facio; illud quaero'. . Cic. Rosc. Am. §. 76 (cf. Seyff. pg. 82).

Atque etiam revocationis vim habet particula 'tamen' pro 'sed' posita (id Iuvenalis esse supra statui et II 40 'Sed tamen unde || haec emis' 'tamen' particulae 'sed' additum vim utriusque particulae non valde inter se discrepare demonstrat) hoc loco:

VI 103 'Qua tamen exarsit forma, qua capta iuventa
Eppia?' . .

Vss. 82—103 poeta rei turpitudinem explicat, a v. 103 causas exquirit expositionem antecedentem particula 'tamen' concludens, in cuius usurpatione eadem fere sententia latet, quam Cicero Cat. II §. 27 ita significat: 'Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur?' (cf. Seyff. pg. 83).

Ad revocationem pertinent formulae praecisionis (G. v. 'kurz'). Quae inveniuntur apud Iuvenalem:

3. Formulae praecisionis.

III 183 'Commune id vitium est: hic vivimus ambitiosa
paupertate omnes. Quid te moror? omnia Romae
cum pretio',

quibus verbis, quae de divitiarum maiestate praemissa sunt (vss. 163—183), poeta complectitur (vss. 183—190). Verbum 'moror' monet de ea formula praecisionis, quae legitur apud Cic. d. or. II 235 'ac ne diutius vos demorer' vel Cic. R. A. §. 20 'ne multis morer'. Praecisionis porro vim habet

III 79 'In summa, non Maurus erat neque Sarmata nec Thrax
qui sumpsit pinnas, mediis sed natus Athenis',

quibus verbis, quod a v. 58 exposuit poeta, artificia sordida afferre Graecos, comprehendit. Nam quae sequuntur post ea usque ad v. 85 'Horum ego non fugiam conchylia' et qu. s. c., repetunt verba versu 59 dicta.

Illud autem, quod legimus

V 58 'Flos Asiae ante ipsum pretio maiore paratus,
quam fuit et Tulli census pugnacis et Anci
et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
frivola',

'ne teneam' monet quidem de rhetorum 'ne diutius teneam' (cf. Seyff. l. c. I pg. 83), sed minus huc pertinet, quod enumerationis finem facit atque idem valet quod particula 'denique'.

4. In aliud differtur tempus disputatio.

Est genus formularum revocationis, quibus disputatio incohata deseritur et in aliud tempus differtur; cf. Seyff. l. l. pg. 84, velut Cic. Tusc. III 73 'Sed de hoc alias — nunc illud satis est'. Ib. III 10 'Sed id alias — nunc quod instat'. Ac totam formulam poetam usurpare non potuisse apparet; sed fragmenta quasi eius exstare apud eum mihi videntur:

IV 11 'Sed nunc de factis levioribus: et tamen alter
si fecisset idem', . .

Quo loco narratio de maleficiis Crispini (vss. 8—10) in aliud tempus differtur et ad leviora transitur ita, ut 'sed' alteram totius formulae partem exhibeat, 'nunc' ad alteram spectet. Laudavi hunc locum supra, ubi de propositione disputabam.

Atque etiam revocationis color perlucet duobus locis, quibus revocationis particula 'sed' omissa quidem est, sed particula 'nunc' ex earum formularum genere, quibus disputatio antecedens in aliud differtur tempus, repetita expositione in universum facta ad singula fit transitio:

VII 36 'Accipe nunc artes. Ne quid tibi conferat iste,
quem colis et Musarum et Apollinis aede relicta,
ipse facit versus' . .

V. 36, de quo supra in transitione ad primum locum disputavi, poeta, postquam vss. 1—35 exposuit ad unum imperatorem Hadrianum cum litterarum studiosos tum poetas refugere debere, quod divites Musis nihil iam condonent (vss. 22—35), ab explicatione in universum facta ad singula transit. (Ut pluribus interpreter: 'sed ne obtundam diutius — audi nunc artes.')

XI 64 'Fercula nunc audi nullis ornata macellis'.

Hic quoque primum a v. 56 de cenae, ad quam Persicus invitatur, simplicitate dicitur, quo facto ad fercula ipsa transitio fit sententia ea fere subiecta: 'sed ne iusto longior fiam, fercula nunc ipsa audi'.

§. 8. Reditus ad propositum.

Ea forma, qua post degressionem dilucidis significatur verbis orationem unde deflexerit referri (Seyff. l. c. pg. 81), usus est Iuvenalis his locis:

XV 72 'A deverticulo repetatur fabula. Postquam
subsidiis aucti pars altera promere ferrum
audet' . .

In fabula enarranda (vss. 32—92) post digressionem (deverticulum) de hominum suae aetatis imbecillitate (vss. 62—71) ad narrationem ita redit, ut verba eius usitatam in hac formula rhetorum elocutionem (cf. Seyff. l. c. pg. 84 sq.) si non referant at imitentur. Comparandus est enim locus Cic. de or. II 157 'Sed ut eo revocetur, unde huc declinavit, oratio' (cf. Seyff. pg. 85).

Obscurius reditus genus, quod ex particula tantum cognoscitur ad antea dicta revocante, inest his locis:

X 185 'Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
fluctibus ac' . .,

ubi (vss. 180—184) digressione brevi de Xerxis superbia interiecta oratio ad verba v. 179 'Ille tamen qualis rediit Salamine relicta, . . ?' revocatur (= Sed ut redeat oratio, unde . ., qualis rediit?).

Similis est locus, ubi particula 'tamen' partes particulae 'sed' tenet

V 24 'Qualis cena tamen? vinum, quod succida nolit
lana pati': . .,

ubi quasi ad v. 9 sq. redit oratio 'tantine iniuria cenae?' interiecta primi loci specie opinione patroni invitantem se clientem,

quae pro officiis debeat ei, reddere cogitantis. (= Sed ut ad cenam ipsam, de qua sum degressus, redeam . .).

§. 9. Praeteritio.

Praeteritio, quae proprium id habet, ut maior reticendo suspicio novae rei excitetur (cf. Seyff. pg. 86 et 87), varie formatur. Atque verbum 'praetereo' ipsum, pro quo Iuvenalis verbum 'transire' ponit, ut exempla prolata demonstrant, rarius adhibetur, crebrius verba 'mitto', 'omitto', 'praetermitto', alia. Semel Iuvenalis imperativo verbi utitur, cuius amantem esse eum supra demonstravi.

III 114 'Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
gymnasia atque audi facinus maioris abollae.'

Hoc loco particula inducitur praeteritio, qua perfidia Graecorum (vss. 113—125) ut maius vitium significatur. Ceteris locis secundum rhetorum usum prima verbi persona usurpatur:

VI 602 'Transeo suppositos et gaudia votaque saepe
ad spurcos decepta lacus',

ubi poeta in divitis feminae descriptione partus discrimen non subeuntis, postquam (vss. 595—602) abactionem feminas efficere dixit, alienos infantes eas supponere per praeteritionem addit (vss. 602—609) et animos intendit ad maiorem quae sequitur rem, venenis coniuges eas insanos reddere (vss. 610—626).

X 273 'Festino ad nostros et regem transeo Ponti
et Croesum, quem vox iusti facunda Solonis
respicere ad longae iussit spatia ultima vitae',

quo loco senes in perpetuo luctu et maerore esse (vss. 240—288) exponens Iuvenalis exemplis Nestoris Pelei Priami addit exempla Mithridatis et Croesi (vss. 273—275) praeteritionis formula, quae exempla Marii (vss. 275—282) Pompeique (vss. 282—288) sequuntur.

§. 10. Occupatio.

Quoniam occupatio ab oratoribus usurpari crebro solebat, ne recta tamquam via currens probatio lentius aequabiliusque auribus accideret utque sermonis cotidiani imitatione facta variatio fieret (Seyff. pg. 139 sq.), non mirum est, quod multis saturarum scriptorum locis nobis forma eius occurrit. Quod cum in ceteros cadit tum in Iuvenalem, quippe qui in plurimis saturis cum ficto adversario disputet. Ex his locis unum affert Strubeus

(l. c. pg. 16) I 150, ad oratorium ut ait usum conformatum, sed proponi plures possunt, quorum altera pars ad partitionem pertinet, altera, ubi sententia aliqua brevissime diluitur, potius ad argumentationem ipsam spectat.

1) Transitio ad maiores locos.

VI 38 'Sed placet Ursidio lex Iulia, tollere dulcem
cogitat heredem cariturus turture magno
mullorumque iubis et captatore macello.
Quid fieri non posse putes, si iungitur ulla
Ursidio?' . .

V. 38 ab exordio (vss. 1—37) ad primum locum transitur (vss. 37—160), quo demonstrat poeta ad felicitatem matrimonii desiderari pudicitiam et castitatem feminarum.

VII 105 'Sed genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra.
Dic igitur, quid causidicis civilia praestent
officia et magno comites in fasce libelli?'

V. 105 ab historicorum ad causidicorum (vss. 105—150) condicionem transit poeta. 'Sed' particula non vim tenens particulae 'at' occupationem inducit sed ab antecedente disputatione revocat ut apud Cic. Mil. 59 (Seyff. pg. 143) similiterque paulo infra particula 'tamen' (VI 55).

Particula 'at' oppositionem ipsam significante plane ex rhetorum usu (cf. Seyff. l. c. I pg. 140 sq.) inducitur:

XIII 180 'At vindicta bonum vita iucundius ipsa.
Nempe hoc indocti, quorum praecordia nullis
interdum aut levibus videas flagrantia causis':

ubi vss. 179—182 ultionis cupiditatem viri plane non esse explicat Iuvenalis. Conclusio quoque (sat. I vss. 150—171) inducitur occupatione:

. . 'Dicas hic forsitan: Unde
ingenium par materiae?', . .

ubi elocutio 'dicas hic forsitan' monet de illa rhetorum 'forsitan quispiam dixerit' (Seyff. pg. 145), qua occupationem tamquam ab alio factam inducebant (similiter paulo infra XIV 224) [5].

---

5) Rudolphus Beer (Spic. Iuv. pg. 60) 'dices', quod exaratum esse a prima manu affirmat a p postea correctum, recipiendum censet. Sed ex rhetoricae formulae memoria Iuvenalem potius coniunctivum scripsisse puto. Comparanda sunt in VI 133 memoria formulae rhetoricae orta verba 'hippomanes carmenque loquar' (= quid loquar de). Quos affert ille

2) Transitio ad minores locos.

X 324 'Sed casto quid forma nocet? Quid profuit immo
Hippolyto grave propositum, quid Bellerophonti?',

quo loco, ubi de pulchritudine disputat Iuvenalis (vss. 289—345), vss. 324—345 addit pulchritudinem etiam ei nocere, qui castus sit neque corrumpatur ab aliis.

XIV 153 'Quid nocet haec?', inquit, 'tunicam mihi malo lupini,
quam si me toto laudet vicinia pago
exigui ruris paucissima farra secantem'.
v. 156 Scilicet et morbis et debilitate carebis, . .
si tantum culti solus possederis agri,
quantum sub Tatio populus Romanus arabat'.

Vss. 137—255 Iuvenalis, quae sensim vitia consequantur ex parentum avarorum praeceptis, demonstrat et famae contemptionem (vss. 153—155) antecedentibus adiungit.

Ad argumentationem potius spectant hi loci:

II 70 . . 'Sed Iulius ardet,
aestuo. Nudus agas: minus est insania turpis'.

VI 55 'Magna tamen fama est cuiusdam rure paterno
viventis? Vivat Gabiis, ut vixit in agro,
vivat Fidenis, et agello cedo paterno'.

VI 346 'Audio, quid veteres olim moneatis amici:
'pone seram, prohibe!' Sed quis custodiet ipsos
custodes?'

XIV 224 . . . 'Haec ego numquam
mandavi', dices olim, 'nec talia suasi'.
Mentis causa malae tamen est et origo penes te'.

II 5 'nam perfectissimus horum est,
si quis Aristotelem similem vel Pittacon emit
et iubet archetypos pluteum servare Cleanthas.'

'Nam' hic vim habet, quam iam supra attigi; reservat ad finem sententiam, quod nullius esse momenti putat, et videtur occupationem huiusmodi inducere 'nam quod aiunt . . . dissolvitur' (Seyff. pg. 148).

---

locos parum valere existimo. In XII 125 'dabit' scriptum utique est propter vicinitatem formarum 'evaserit, delebit, incedet'. In VIII 163 'dicet' pω habent, cod. Pith., si quidem Iahnio fides habenda est (ed. min. pg. 93), vocalem erasam habet. Quod praeterea afferri possit XIV 223 'dices olim', discrepat, quia 'olim' additum est propter fructus futuro tempore redundaturos.

Sed quoniam enumeravi occupationis exempla, restat, ut vestigia usus rhetorici indicare illa non solum ratione qua inducantur, sed qua efficiatur quam dicunt reprehensio, ostendam. Atque refutatio sententiae occupatione inductae fit variis modis (Seyff. pg. 150 sq.). Primum reprehendendi genus est nullo signo praemisso simplex responsionis forma, quam adhibet Iuvenalis locis, quos supra dixi: II 70. VI 55. XIV 224. In VII 105 vero latet formula 'num igitur', quae concessionem et dissolutionem una continet (= num igitur causidicis plus civilia praestant officia?). Namque — id quod est aliud reprehendendi genus — concessio, a qua refutatio incipit (Seyff. pg. 153), saepius deest, ut dissolutio occupationem ipsam sequatur. Huc pertinet VI 346 'Sed quis custodiet ipsos custodes?', quo loco non 'sed' pro particula 'at' est positum sed ita explicandum est, ut antea 'fateor' audiamus.

Reprehensio porro fit elocutione, quae ad ironiam spectat, inducta particulis 'scilicet', 'videlicet', 'credo', 'quasi', 'quasi vero' (Seyff. pg. 157). Ex quibus usurpavit particulam 'scilicet' Iuvenalis XIV 153 et quod idem valet 'nempe' XIII 180. Qui supersunt loci VI 38 et X 324 vocandi sunt ad id refutationis genus, quae fiebat interrogandi forma, qua sane adhibita elocutionibus talibus quales sunt: 'Quid?', 'Quid tandem?', 'Quid ergo?' additis induci illa a rhetoribus plerumque solebat. —

II. Symbolae criticae et exegeticae.

Satura I.

Vs. 67.

Quod iam Rupertius (Iuv. sat. comm. ill. vol. I. Lips. 1819 pg. 10) in versuum textu legerat 'signator, falso qui . .' vocem 'falso' cum sententia relativa sequenti ut substantivum iungens, nuper Iohn Mayor (Thirteen Satires of Iuvenal. II ed. enlarged London and Cambridge 1872—1878) amplexus est iure a Friedlaendero (Burs. Jahresb. 13. u. 14. J. 1878. 2. Abthl.) vituperatus; nam vim verborum 'exiguis tabulis' ea re tolli Weidnerus (pg. 39) et Iongius (Adnotationes in sat. D. I. Iuv. Groningae 1879 pg. 11) iure contendunt. Eadem oritur tautologia, si Madvigium sequimur, qui (Op. ac. I 40) legendum putat 'signato falso', et Wdn. substantivum verbale, quod non pariter languescat, potius locum habere recte monet. Grangaeus quoque Hen-

niniusque exemplum secuti Turnebi (Adv. 28, 24) et Gronovii (obs. II 24), si Rupertio fidem habemus (vol. I pg. 10 not.), 'falso' pro ablativo habuerant, sed ad vocem 'signator' referentes ita interpretati sunt: 'in falsis tabulis', quod voluit Weberus (Iuv. sat. XVI rec. Weim. 1825), vituperant Madvigius et Iongius. Wdn. (pg. 39) 'falso' nimis audacter pro dativo finali habet. Dativus Wirzio quoque placet (Philol. 37. 1877 pg. 293—301), qui 'subscriptor' proponit, quod 'subscribere' hac vi subiecta in Dig. 2, 13, 6 et 40, 7, 40 inveniatur. Quod nimis a lectione cod. abhorret.

Quodsi quaerimus, qui sit usus vocis 'falsum', videmus, id quod Wdn. (pg. 39) recte dicit, vim fere substantivi eam apud iuris consultos tenere, qua tabularum in universum corruptio significetur (velut Dig. 48, 10, 1 §. 13 poena falsi vel quasi falsi deportatio est; cf. Tac. Hist. II 86 ib. Herae. I pg. 221), qua quidem vi nituntur Rupertii Mayorique interpretationes. Nusquam autem 'falsum' proprie 'falsum testamentum' denotat. Heinrichius autem (vol. II pg. 61) alia interpretandi ratione usus ad vocem 'falso' ex 'signator' 'signo' suppleri iubet. Interpretatio ea Hofmanno quoque placet (Zur Krit. u. Erkl. einiger Satiren des Iuv. Amberg 1878 pg. 5). Sed loci ab utroque allati non sunt tanti momenti, ut nos non possimus non assentiri. Id quidem constat, elocutionem 'signis adulterinis (i. e. falsis) signare' vulgarem fuisse (cf. Cic. Cluent. 41), sed minime pluralem numerum 'signa' neglegendum puto (cf. Quint. XII 8, 13). Nam duobus quos Hofmannus profert locis (Liv. 40, 23 et 55), quod de litteris agitur, singularis ponitur numerus. Quae cum ita sint, exspectes 'signator falsis'. Aliae quoque causae graves contra interpretationem illam valent. Primum concedendum est vocem 'falsus' non minus cum testamento quam cum signo iungi. Cf. Dig. 48 tit. X 'quive testamentum falsum scripserit signaverit' et poetae ipsius voces VIII 142 'falsas signare tabellas', quo loco 'falso signare' non dicit. Quare alterum Hofmanni (l. c. pg. 5) argumentum Iuvenalem similiter substantivum omittere solere in sat. X v. 334 'Tyriusque genialis' demonstrantis ita refutandum est, ut, siquidem substantivum suppleri omnino necessarium sit, non minus recte 'falsi' i. e. testamenti suppleri posse censeamus. Alter vero locus supra allato (X 334) similis apud Iuvenalem non invenitur. Nam loci I 149 et III 39 ab Hofmanno allati huc non pertinent. Neutra singularia enim cum ab aliis

poetis tum ab Iuvenale usurpari nihil miri habet; ac si Hofmannus Rahnii commentationem, cui est titulus 'Selecta capita de syntaxi Iuvenaliana. Hal. Sax. 1875' inspexisset, eorum usum vere Iuvenalianum cognovisset.

Similis Heinrichii Hofmannique enarrationi est Iongii (l. c.), qui pro 'supino' conicit 'sigillo'. Sed repugnat et usus verbi 'supinus', quod Iuvenalis saepius adhibet (cf. III 280. XIV 190) et librorum consensus, reiecitque hanc coniecturam Friedlaenderus in rec. Iong. (Burs. Jahresb. J. 9 f. 1881. Abthl. 2 pg. 64).

Uno vero vitio omnes quas enumeravi interpretationes laborant, ut addant, quod poeta verbis sequentibus ipse expressit. Qui enim ad 'falso' 'signo' supplent, supervacaneum addunt, quod ea notio verbis 'gemma uda' exprimitur. Qui autem ad 'falso' 'testamento' supplent vel pro substantivo vocem habent, eos fugit verba 'exiguis tabulis' et 'gemma uda' eam notionem referre. Quare non vocem desideramus eam, quae ad rem attineat, sed id exspectamus, ut personae indoles in universum ita definiatur, ut res ipsa non antecipiatur. Quod sensisse saltem videtur Rahnius, qui (l. c. pg. 23) 'falso' cum 'signator' Graecorum in modum pro attributo coniungendum esse putat, cui interpretationi Friedlaenderus quoque in rec. ed. Mayori (l. c.) favet.

Atque quaerentibus nobis, quam late pateat apud poetam usus constructionis eius, tria tantum Rahnius (l. c.) exempla recte affert (II 73. III 24. XI 86); nam quod ille Heinrichio praeeunte (vol. II pg. 60) statuit in sat. I v. 65 'paene' cum 'cathedra' iungendum esse vix cuiquam persuadebit. Poeta igitur constructionem eam utpote in adverbiis loci et temporis maxime usurpatam, id quod Draegeri (Hist. Synt. d. l. Spr. I² pg. 131 sq.), Kuehneri (A. Gramm. d. l. Spr. II, 1 pg. 165), Naegelsbachii (Stil. §. 75) exempla docent, tribus illis locis imitatur. Atque licuit Rahnio ad Naegelsbachium solum provocanti ex Draegeri exemplis unum simillimum afferre. Apul. apol. cp. 28: 'ibi etiam de falso invidia disputabo'. Sed ex illo quoque elucet loco adverbium in liberrimo eo usu positum saltem fuisse ante substantivum, quod et Iuvenalis tribus illis prioribus locis observat et observasse alii poetae videntur: Verg. A I 21 late regem. Hor. C. III 17, 9 late tyrannus. 'Falso' autem substantivo postpositum durius est.

Cumque Iuvenalis adverbium pro adiectivo perraro ponat, adiectivi pro adverbio apud eum usum latissime patere Rahnius

pg. 31 sq. ipse concedit. Atque ex iis quae ille enumeravit exemplis gravissima adscribam: I 10 'unde alius furtivae devehat aurum || pelliculae'. III 305 'et ferro subitus grassator agit rem'. VI 523 'ter matutino Tiberi mergetur'. VIII 10 'si luditur alea pernox'.

Accedit, ut universa poetae elocutio nihil fere habeat, quod non ei cum aliorum poetarum commune sit. Quod rectissime Thurot (Revue critique 43. 1875 pg. 258 sq. in rec. Kiaeri) ita comprehendit: 'Dans l'ensemble la langue de Iuvénal n'offre pas des particularités charactéristiques et je ne vois rien d'important à conclure de faits rassemblés par M. K.'

Nihilominus si Pithoeani cod. scriptor tanta esset diligentia usus, ut singulis eius lectionibus summa fides habenda esset, ego quoque in eo acquiescerem, ut elocutionem huius loci liberiori poetae dicendi generi tribuerem. Nunc vero Rudolphus Beer, qui nuperrime de codice Montepessulano atque de archetypi quantum cognosci ex hoc possit natura primum in meletematis Vindobonensibus (De nova scholiorum in Iuv. recens. instituenda. Melet. Vind. VI 1884 pg. 297—314), tum in libello, cui est titulus 'Spicilegium Iuvenalianum Lips. 1885', pg. 15 acerrimo iudicio disputavit, mendum librarii Pithoeani cod. quasi proprium, ut oculis ad syllabas singulas sive antecedentium sive insequentium vocabulorum aberrans eas male aut repeteret aut praeciperet, luculentissimis exemplis probavit. Velut in proximo versu 68 huic vitio tribuendam esse lectionem 'fecerat' cum contextu minus convenientem (Spic. Iuv. pg. 59) docet. Eadem ratione cod. Pith. praebet III 226 'brevis nec reste movendis in tenuis plantas'. VII 37 sq. 'M. et Apollinis aede relicta, || ipsa facit' VIII 259 'ancilla natus trabea et diadema' XI 63 'alter aquis, alter flammis ad sidera missis'.

Locis permultis a Beerio enumeratis complures ab illo de industria neglecti (Spic. Iuv. pg. 13 not. 3) ex Iahnii apparatu critico addi possunt, quibus lectionem genuinam in Pith. cod. ad verba in contextu proxime posita stulte accommodatam esse apparet. Velut I 143 'crudus' Weidneri lectio reicienda et Iahnii Hermanni Ribbeckii 'crudum' restituenda est, ut Wirzius in rec. edit. Wdn. (Philol. Anz. 6. 1874 pg. 551—561) iure monuit. Verbis enim in Pithoeano cod. antecedentibus 'turgidus et' scriba imprudens, ut sic mutaret, commotus utique est. II 44 'respicere' stolidissime propter sequens 'scrutare' scriptum est. II 82

'audebit' pro 'audebis' propter verba 'nemo repente fuit'. II 140 'moriuntur' Pithoeani lectio ex verbo sequenti 'prodest' orta esse videtur, cum codic. deteriorum lectio 'morientur', ubi semel positum 'moriuntur' erat, maiore explicetur negotio. III 210 'frustra rogantem' in Pithoeano cod. ex verborum sequentium 'nemo — iuvabit' contextu ortum est. V 38 'berullos' propter 'inaequales'.

Quae cum ita sint, 'falso' cod. Pith. librarius mihi vocabuli 'supino' antecedentis memoria et sono ut permultis locis deceptus scripsisse videtur. Contra ea Rupertii coniecturam simplicem (vol. I pg. 10 in notis) 'signator falsus' ex tenebris, in quibus adhuc iacuit, ad lucem proferendam et honore quo digna est afficiendam esse puto.

Rupertius recte loc. Sallustii (b. Catil. 16, 2) 'ex illis testis signatoresque falsos commodare' comparat, quem scriptorem poetam, qui adulescens exercitationibus rhetoricis interfuerat, compertum saltem habuisse statuere licet. Nam Catilinae personam, cuius mentio apud Iuvenalem bis fit (X 288 et XIV 41), rhetorum controversiis argumentum praebuisse Senecae locus (controv. 17 pg. 198 B. cf. Ribb. D. e. u. u. Iuv. pg. 8) docet. Sed etsi non inde, sed ex aetatis suae sermone repetivit, non minus satis habemus. 'Testis falsus' elocutio certe Iuvenali usitata est (cf. VIII 82. XIV 218. XVI 32). Rupertii coniectura Wirzio quoque (Philol. 37. 1877 pg. 293—301) haud contemnenda visa est, sed unde librarii mendum ortum sit, non intellegi censuit.

Vs. 161.

Si Iongius, quae in fine expositionis suae (l. c. pg. 18) dicit: 'fieri tamen potest, ut significatio verborum 'accusator erit' translata sit' aeque ac Kiaerus (l. l. pg. 224) intellegit, qui omissionem defendi saltem posse putat hoc modo: 'accusator erit' idem est atque 'accusabit eum, qui', non consentio. Neque quae Kiaero ipsi arridet interpretatio ratione grammatica commendata (= is, qui) mihi apta videtur. Illud agitur, utrum accusator, quod vult, consequatur annon. Quod si perpendimus, haec non aliena nobis videbitur sententia: Tantum aberit, ut in eum, qui publicae est offensioni, acer fiat impetus, ut ipse, si vel unum verbum dixeris, accusatus ab illo vix calumniam effugias, quoniam eum eius sceleris, cuius omnium ore clam arguitur, certis argumentis testibusque coarguere palam non potes. Strubeus (de rhet. Iuv. disciplina pg. 13) sub titulo ellipsis cum Hein-

richio statuit 'eius' supplendum esse atque comparat VI 413. Sed recte hunc locum comparari posse negans Kiaerus (l. c.) notionem in verbis 'id vitium' subaudiendam 'femina vitiosa' tamquam subiectum verbis 'quam quae' anteponit [6]). Weidnerus supplendum esse 'ei' censet, sed Teuffelius (sat. in l. G. vers. pg. 177) et post eum Iongius (l. c. pg. 18) id mihi recte statuere videntur, Iuvenalem hic ellipsin nullo evitare potuisse negotio, cum sententiae perspicuitas effici levi mutatione sic potuerit: 'si dixeris'. Sententiam vero paulo invertit, ut pondus alio se inclinet, Maehlyi interpretatio (Rh. Mus. XXII 1867 pg. 149 sq.): 'cui verbum dixeris: hic est'.

Quae cum ita sint, ego puto lectionem Pithoeani in 'accusatus erit' emendandam esse. Atque codicis huius librarium, quod litteras archetypi saepissime male coniunxit aut distinxit, multa perverse accipientem, 'u' et 'o' in versibus commentarioque confudisse ex exemplis a R. Beerio allatis (Meletem. Vind. VI pg. 302) apparet. Namque VI 153 pro 'mercator Iason' exstat in cod. Pithoeano 'mercatoria sum', in scholiis pro 'Saturni sese cum' 'sutor nise secum' (VI 569). Eundem vero, ubi semel vocabulum falsum animo conceperat, reliquas litteras ad arbitrium accommodasse et prior locus et alii monstrant. Velut (cf. Beer. l. c.) VI 101 pro 'prandet et errat' 'prandente terrat'. VI 475 pro 'die. si nocte' 'dies in nocte'. Pers. V 150 pro 'avido sudore' 'avidos sua dare' (Spic. Iuv. pg. 13). Explicari ita quoque potest, ut sono insequentis voculae 'erit' lapsus vocem 'accusatur' primum animo conceptam in 'accusator' mutaverit. 'Accusatus' denique verbum non desiderat criminis denotationem (cf. VI 343. III 54. II 27). Attigit Teuffelius (l. c.) eam emendationem, sed proponere dubitat, quod Iuvenalis non semper breviore dictione utatur. Sed sententiae communes neque brevissimae sunt et Iuvenali adamatae. Cf. II 60 'Dives erit, magno quae dormit tertia lecto'. Quae vero in eodem versu Beerio arridet Hartelii coniectura versus (abgewandt) = secum (Spic. Iuv. pg. 60), mihi non probatur; praeterea ex cod. Pithoeani lectione 'versum' emendari facilius 'verbum' existimo.

---

6) Quamquam iniuste idem locum XIII 175 adhibet, quia quod semel in v. 15 dixit poeta: 'sacrum tibi quod non reddat amicus || depositum' per totam saturam subaudiendum esse puto. Sic in sat. II v. 29 'qualis' haud scio an ad v. 20 referendum sit.

Satura III.

Vs. 23.

Quod Buechelerus (Rh. Mus. 29. 1874 pg. 636—638) proponit 'atque adeo cras' voce 'cras' tamquam substantivo intellecta, a Friedlaendero (Burs. Jahresb. 1874 u. 1875 Bd. 2) repulsum iam est, cum iis quos affert locis (Pers. V 68 iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras. Mart. V 68 Quam longe est cras istud) pronomine vel adiectivo addito vis substantivi significata sit.

Sed id quoque quod Friedlaenderus (l. c.) ipse conicit 'novum cras' vel 'atque adeo cras deerit' supervacaneum est. Contra urbem enim in hac satura accusationes omnes valent; urbs urbisque incommoda ac pericula Umbricium depellunt; urbs in sententiis 'nullus in urbe locus', 'nulla emolumenta laborum' (v. 22) logicum quod dicunt est subiectum. Illa ei non modo commoda non praebet sed rem familiarem victus cotidiani domiciliique impensis, quas ei quasi extorquet, in dies imminuit. Compara VII 138 'sed finem impensae non servat prodiga Roma'. Similiter Iuvenalem haud exiguo saepe spatio interiecto ad vocem aliquam in contextu dominantem recurrere exempla alia probant. Velut IV 25 'hoc pretio squamam' voces spectant ad verba v. 15 'mullum sex milibus emit' vocibus v. 22 'emit sibi' iterata [7]). Neque igitur vis pronominis 'eadem', si ad 'urbs' refertur, praefracta est, sicut Buechelerus censet, neque cum Herwerdeno (Mnemos. N. S. I 1873 pg. 395—412 cf. Burs. Jahresb. J. 1. 1873 Bd. 2) 'fames' emendanda videtur. Accedit, quod apud Iuvenalem 'atque adeo' vi subiecta 'und auch' nullo invenitur loco, etiamsi 'adeo' voce sexiesdecies utitur. Pro eo usitata est apud eum 'nec non' (cf. III 64. 204. VI 282. VIII 103.

---

7) Sic quoque defendere velim locum II 43, quo lectio vera cod. Pith. nunc demum per Beerium (Spic. Iuv. pg. 61) prolata 'actu recitari' Vahlenii emendationi ab illo spretae 'ac iura, citari' (ind. lect. aest. Berol. 1884 pg. 21 sq.) favere videtur, quoniam Beerius ipse demonstravit perverse distincta saepissime esse ab illius codicis librario verba archetypi (Melet. Vind. VI pg. 301 ac Spic. Iuv. pg 13 sq.). Neque enim 'Scantinia' vox post verba 'leges ac iura' offendet eum, cuius memoriae, ubi v. 44 legit, obversantur verba v. 37 'ubi nunc lex Iulia?', ad quae sequentia spectant.

IX 88. XIV 130). Enarrationi denique meae favet, quod Weiseus (Vind. Iuv. Hal. Sax. 1884 pg. 36 sq.) exemplis luculentis probasse videtur pronomen 'idem' poetae in rhetorica verborum abundantia in deliciis fuisse.

V. 108.

In recensione edit. Weidneri Meinertzius (Ztschr. f. d. G. 28. J. 1874 pg. 211—239) et Wirzius (Philol. Anz. VI pg. 551—561) trullam de calice aureo secundum alteram scholiastae interpretationem (cf. Iahn. ed. 1851 pg. 203) minime intellegendam sed ad obscoenam aliquam rem referendam esse recte dicunt. Quae autem Haekermannus de hoc loco (Neue Jahrb. f. Phil. u. Paed. Bd. 80 pg. 595) disputavit, Pfaffius (ibid. Bd. 82 pg. 432—434) iure reiecit. Ac de strepitu, cum quo inverso lasano, quae insunt, in latrinam infunduntur, cogitari utique nequit. Pfaffius ipse Rupertii primam enarrationem secutus ita interpretatur: Crepitus est cacantis coram amico; resonat trulla ipsa ventre exonerato. Atque 'inverso fundo' interpretatur, tamquam positum esset 'inverso vel everso ventre' (Ztschr. f. d. G. 1867. 21 pg. 171—174) falso ad amicum quasi ad logicum referens subiectum. Sed repugnat usus vocabuli 'fundus', quod proprie ad vas aliquod pertinet (cf. Plin. XV 17. 18 §. 60 f. ollae. Paul. Dig. 41, 1, 26 scyphi). Neque Weberus rem intellexisse recte videtur. Tanto, ait ille, ventris onere lasanum impletur, ut fundus eius invertatur et sonitus ex imo reddatur. Sed 'invertere' vim vocis 'incurvare' non tenet, ut de lamina fundi incurvata cogitari nequeat.

Sed excrescere orationem necessarium omnino non est. Verba v. 107 'si rectum minxit amicus' id utique significant, matellam ab homine divite postulari. Atque Varronis locus apud Nonium 547, 7 'Postularet trulleum, matellionem, pelvim' discrimen haud ita magnum intercedere inter has voces demonstrat. Quare rem ita enarro, ut lasanum aureum e manu divitis cadens inverso fundo crepitum det. Quod cum v. 107 melius convenit. Quamque obscoenis et vilibus interdum Romani iocis in comissationibus gavisi sint, Martialis epigramma libri VI 89 docet. Quae interpretatio simplex omissa adhuc est, quod ad alterutram utique scholiastae notam accommodandam esse enarrationem interpretes censuerunt.

Vs. 218.

Kiaerus (pg. 83 l. c.) et Friedlaenderus (Burs. Jahresb. 13 u. 14. J. 1878. 2. Abth. in rec. edit. May.) lectionem Pithoeani ‘haec Asianorum’ retinendam esse censent. Atque hic eam ita defendit, ut dicat Iuvenalis esse descriptiones variationibus minutis distinguere ac mutare. Sed variatio ea delectare animos non videtur. Cur ‘vetera ornamenta deorum Asianorum’ a femina apportentur? Quare ne Iongium quidem (l. c. pg. 24) laudo lectionem ‘hic’ ideo probantem, quod ex similitudine loci VI 479 ea pronominis forma femininum quoque genus comprehendere possit. Versum vero propter difficultates spurium habenti Weidnero (pg. 84) quis credat? Lectio sane Pithoeani servari nequit; sed ‘hic’ emendare nolo, quod omnium codicum scripturae ‘e’ littera inest. Cumque Kiaerus (l. c. pg. 83) demonstret lectionem codicum nonnullorum ‘Phaecasianorum’ locum habere non posse, alia sanandi via ingredienda est.

Atque ego puto ‘haec’ corruptum esse ex ‘atque’ voce. Nam si rationem palaeographicam in auxilium vocamus, quod Rudolphus Beer (Melet. Vind. VI pg. 301 et 312 sqq.) de archetypi natura disputavit, sententiae meae favere videtur. Permulta enim librarii cod. Pith. utpote sermonis latini parum gnari menda ex archetypi male intellecta scriptura originem duxisse ib. (l. c. pg. 301 sq.) docet. Sic pro ‘atq.’ neglegenter litterisque inter se confusis scripto, ut ‘haec’ legeret librarius, fieri potuisse haud alienum putes.

‘Ornamenta Asianorum deorum vetera’ igitur cum v. 217 arte coniuncta de illis monent temporibus, quibus in capite artificiis Graecorum referto religiones orientis sedem collocaverunt (cf. Overbeck Gesch. d. gr. Plast. II 404). Cumque signa ex aere vel marmore facta possidendi studium apud Romanos illius aetatis in dies incresceret, artificia summi pretii significantur. Nec Wdn. (pg. 84) recte iudicat ‘ornamenta deorum’ ad tabulas pictas pertinere, cum Strubeus (l. l. pg. 4) his vocibus Homeri *ἀγάλματα θεῶν* (Od. VIII 509) in Latinum vertisse poetam censens a vero abhorrere haud videatur. Aliud enim de Parrhasii operibus vocabulum poeta usurpat in sat. VIII v. 102.

Satura IV.

Vs. 116.

Verba Iuvenalis ut vulgo leguntur ‘caecus adulator dirusque a ponte satelles’ prorsus recte se habere Meinertzius (Ztschr. f.

d. G. 28. J. pg. 211 sq. in rec. ed. Wdn.) iure negat. Descriptio enim hominis amplior, quae a verbis 'caecus adulator' capit initium, verbis subsequentibus in universum dictis rursus abripitur. Vocibus autem illis 'caecus adulator' illud 'grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum' (v. 115) descriptum satis esse, cum Scholtio (Dissert. litteraria cont. obs. crit. in sat. Iuv. Traiecti ad Rhenum 1873 pg. 37) negandum est. Atqui idem emendationes eorum, qui corruptelam voci 'dirusque' inesse putent, in irritum cadere, immo mendum in vocibus 'a ponte' latere haud inepte iudicat. Nam 'dirus' vocabulum in Catullum, qui in v. 113 'mortifer' appellatur, optime quadrat et ab Iuvenale undecies usurpatur.

Si vero quae memoriae tradita sunt de Catullo requiris (cf. Strauchium de pers. Iuv. Gotting. 1879 pg. 26), Plinius (ep. IV 22, 5) sic iudicat: 'ingenio saevo mala caecitatis addiderat'. Quod Plinii iudicium rectius referri puto, si emendamus 'caecus adulator dirusque s p o n t e satelles'. Enarrandum sic est: Cum exspectes caecitatem animum eius mollem propensumque ad misericordiam reddidisse, natura eius Crispi, quem poeta vss. 81—93 describit, opposita de industria esse videtur. Cuius ingenium, si Iuvenalem sequeris, mite erat (v. 82), sed 'clade et peste sub illa ‖ saevitiam damnare et honesta adferre' non licuit (vss. 84 et 85). Ut explicem amplius, Crispus natura mitis a tyranno coactus erat saevitiam probare: Catullus saevus sponte erat. Cum haec coniecissem, iam H. Valesium vidi 'ac sponte' proposuisse. Sed 'ac' necessarium non est.

Vs. 130.

Kiaerus de ellipsi (l. c. pg. 131) disputans utramque interrogationem in v. 130 'quidnam igitur censes? conciditur?' Veientoni attribuit, quod Iuvenalis 'nulla personae mutatae significatione facta' novam non inducat personam et oratio Veientonis mire in interrogationem 'cernis ‖ erectas in terga sudes?' exeat. Sed melius erit cum scholiis 'Nero dicit' adnotantibus (cf. Iahn. l. c. pg. 227) Iahnio Heinrichio Rothio (Satirae tres. Norimb. 1841) Weidnero interrogationes duas ad imperatorem referre.

Voces enim 'hoc defuit unum' (v. 128) id utique significant, verba antecedentia dicentis finita esse, et verba 'quidnam igitur censes? conciditur?' vaticinantem ita interrumpunt, ut sententia iactantis piscem tamquam populi alicuius superati imaginem

iacere continuetur. Quodsi imperator non in praecedentibus loquens inducitur, tamen verbi secunda persona (v. 125 habes, v. 126 capies, v. 127 cernis) ad eum spectat. Domitiani ergo interrogationes Montani verba sequuntur.

Satura VI.

Vss. 192—199.

Kiaerus, ubi de hoc loco disputat (l. c. pg. 103—107), unam dicit tantum loci esse enarrandi viam, quam ipse proponit. Ac 'sub lodice relictum esse' putat idem esse atque 'ad inopiam redactum esse' et post 'uteris' puncto incidit. Sed hac ratione particula 'enim' longius a sententiae initio removetur. Ceterum Kiaerus ipse se satis idoneis argumentis id firmare nullo modo posse (l. c. pg. 105) fatetur et a Friedlaendero (Burs. Jahresb. J. 2 u. 3. 1874 u. 1875 Bd. 2 pg. 210—213 in rec. Ki.) Iongioque, qui de hoc loco (l. c. pg. 46—53) disputat, iure vituperatur. Quaeque hic (l. c. pg. 51) interpretatur: 'Quoties . .; uteris in publico verbis, quae ante (cum nondum vetula eras, i. e. tempore, quo in viri amplexibus saepius illa verba emisisti . .) emissa sunt abs te' verba 'quod enim' vetulae sic cogitanti attribuens, probare possumus. Non probandum autem est, quod 'relictis' in 'relatis' (= quae referri solebant) mutat, ut Kiaeri effugiat vituperationem id monentis, quomodo fieri possit, ut anus, quae reliquerit sub lodice, iis paulo post in hominum turba utatur.

Sed alia via restat, si verbo 'relinquere' ex sequentibus vim subdas 'desinere aliquid dicere', 'non iam usurpare'. 'Relinquere' enim cum infinitivo iunctum vim habere desinendi Lucr. VI 655 monstrat 'quod si plane contueare, mirari multa relinquas'. Qua vi subiecta Pithoeani cod. lectionem cum Iongii enarratione retinere possumus, cum 'modo' vocem ad remotius quoque temporis spatium spectare idem (l. c.) docuerit. Insuper gravitas ac severitas vocis 'referrre' in hunc locum non quadrat. Neque necessarium est voci 'quoties' cum Iongio 'at' anteponere. Nam quod verba versus 193 'non est hic sermo pudicus in vetula' sequentibus, quae asyndeto causali inducuntur, definiuntur accuratius, nihil habet offensionis.

Vs. 238.

Pithoeani cod. hic scriptura 'silet' languet, quamquam Rudolphus Beerius ei peculiarem irrisionis vim inesse affirmat (Spic.

Iuv. pg. 69) = ʻquamvis morae impatientemʼ nec cum sequentibus vocibus ʻet praeputia ducitʼ apte convenit, cum recte Iongius (l. c. 58 sq.) censeat nostri loci sensum eundem fere esse ac versus 327 h. s. (tunc prurigo morae impatiens). Quam ob rem ne ʻpavetʼ quidem aptum est, quod ab altera manu in cod. Pith. margine adscriptum est, neque quod Weidnerus proponit ʻcietʼ, quod iure Wirzius (l. c. in rec. Wdn.) vituperavit, neque quod Ribbeckius ʻsalitʼ, neque, qui Wdn. editionem in ephemeridibus quibus est titulus ʻLiterarisches Centralblattʼ (1873 pg. 1201) recensuit, ʻtremitʼ bene conicit. Iongii vero emendatio ʻcaletʼ, etsi in contextum quadrat, tamen a Pithoeani cod. lectione paulo longius discedit. Facili mutatione ex Pithoeani cod. scriptura emendo ego ʻsititʼ, quod in adulterum in domo abditum et horam exoptatam exspectantem desiderii plenum haud scio an cadat (Germanice: lechzt). Atque confundi in Pithoeano cod. l, t, i Beerius (Meletem. Vind. VI pg. 303 et Spicil. Iuv. pg. 14) demonstravit. Exemplo est I 171 ʻlegiturʼ pro ʻtegiturʼ, VI 40 ʻmultorumʼ corr. ab ead. m. pro ʻmullorumʼ. Visque vocis translata similiter legitur in Ovid. rem. am. vs. 247 ʻQuidquid et afueris, avidus sitiensque redibisʼ, quem talium rerum existimatorem optimum non modo compertum habuisse sed imitatum permultis locis esse Iuvenalem Strubeus (l. c. pg. 7 sqq.) docuit.

Vss. 376—378.

Nec Weidnerus (cf. Mein. in rec. ed. Wdn. Z. f. d. G. 28. J. pg. 211—239) nec Heinrichius locum satis intellexerunt. Qui ʻcommittereʼ vim habere verbi ʻcredereʼ statuens sic interpretatur: . . , quippe qui eum diffisurus sit et plane perditurus (vol. II pg. 235). Immo hos versus locum totum concludentes aptius vers. 368 sensum (et — opus) repetere puto. Acu paene iam Rupertius (vol. II pg. 321) rem tetigit, qui ʻcommittereʼ idem esse dicit atque ʻcomparareʼ. Sed de certamine cum Rupertio et Iongio (l. c. pg. 32 ʻtu cave, ne ille provocet Bromiumʼ) non intellegendum est, sed dissimilis est versus sat. I 163 ʻSecurus licet Aenean Rutulumque ferocem ‖ committasʼ . ., ubi vim habet ʻconfligere inter se iubereʼ. Hic vero id verbum significare puto ʻaequareʼ, ʻin eodem numero habereʼ, quod ex comparando consequitur. Quodsi Iongius pro eunucho emendat ʻcum illoʼ, quod pro ʻcum eunucho committereʼ poni ʻeunucho committereʼ nullo modo possit, ego hoc loco ʻcommittereʼ cum dativo casu ut ʻcom-

5*

parare' locis haud paucis aliorum scriptorum iunctum esse puto ex similitudine locorum Iuvenalis, quos Kiaerus profert (l. c. pg. 215). XI 130 'Qui me sibi comparet'. XII 20. XIII 65. XIV 19. Ac verba 'comparare' et 'committere' idem fere significare hoc Iuvenalis loco: VI 436 'committit vates et comparat' nemo non videbit. Quare censeo hanc sententiam versibus inesse: Quod eunucho permittis, cave ne Bromio corroborato ('durum iamque tondendum') permittas, eum tamquam delicatum cum illo eodem loco mente habens.

Vs. 495 sq.

Friedlaenderus (Burs. J. 1873 pg. 1142— 1144 in rec. Herwerd.) cum Scholtio (l. c. pg. 57) emendationem Herwerdeni (Coniect. lat. Mnem. N. S. I 1873) 'laeves' (sc. comas) ex 'laevum' commendat parum probabiliter. 'Extendit' nempe cum verbis subsequentibus iungi necesse est. Si vero coniectura illa accipiatur, vox 'altera' nude posita erit, cum nihil aliud faciat nisi Psecas in v. 490 sq. atque id certe exspectetur, significari etiam alteram servam ad capitis dominae cultum adhiberi. Quare Pithoeani cod. scriptura locum habet. Atque Iuvenalis hoc quidem solo loco pro adverbio accipit 'laevum', sed Vergili quem permultis locis imitatur (cf. Strub. l. c. pg. 3 sq.) usum novisse videtur, cuius haec exempla sunt: Aen. IX 631 'et caeli genitor de parte serena intonuit laevom' vel II 693 'subitoque fragore intonuit laevom'.

Satura VII.

Vs. 192.

Magis quam Wirzio (Philol. Anz. 6. 1874. pg. 146—149 in rec. Scholt.) Friedlaendero (Burs. Jahresb. 13 u. 14. J. 1878. 2. Abthl. in rec. ed. May.) obtemperandum est, qui v. 192 Iahnio (ed. 1868) auctore spurium iudicandum non esse dicit. Atque versui 192 Kiaerus (l. c. pg. 135) iure suo sententiam condicionalem inesse iudicat. Sed cum idem demonstret eam, ubi particula suppleatur, sententiae condicioni subiectae semper praemitti, in initio versus 192 'si' post 'generosus' in cod. Pith. excidisse existimo similiter atque in sat. IV 18 in codicibus nonnullis deterioribus post litteram 's' (artificis) 'si' in versus contextu excidit. Cf. Beerium (Spic. Iuv. pg. 70) ad VI 548. Neque enim cum Kiaero post 'generosus' maiore signo, post 'alutae' minore

incidendum puto, quod versus 192 nexu sententiarum arte cum antecedente ita fere iunctus est: Si quis bonis auspiciis censum senatorium nactus senator factus est, statim eum nobili loco natum esse vulgus dicit.

Vs. 242.

Summae irrisionis est, si in satura poetae ira incensi ipsius cogitationes aliis personis tamquam propriae tribuuntur. Quod fit hoc loco, si Pithoeani cod. scripturam (curas et) emendatam legimus: 'cura, sed'. Nam sic, quod ille praebet librarii stultitia male distinctum (similes loc. vid. apud Beerium Melet. Vind. VI pg. 302 et Spic. Iuv. pg. 13 sq.), legere nos debere consentaneum est. Ac propter id ipsum, quod 'sed' particula non intellegebatur, cum Heinrichio (vol. II pg. 313) ceteras scripturas ortas esse puto. Particula enim 'sed' in codicibus nonnullis temere in 'et' mutata metri causa 'cures' ponebatur. Quam interpolatorum aliquot codicum lectionem in textum nullo iure Rupertius recepit. Iterumque probante Friedlaendero (in rec. Burs. Jahr. 1874 u. 1875 pg. 210—213) eam scripturam Kiaerus (l. c. pg. 123) commendat; sed ne ille quidem recte, quamvis vera sint, quae ibidem exponit, Iuvenalem saepe 'et' coniunctione coniunctivum cum imperativo coniungere. Idem statuit 'poetam ipsum loqui sed in vehementi atque accelerata oratione imperativo 'accipe', qui dantis sit, pro simpliciore forma uti' (= tibi datur). Tota vero res melius sic explicatur, ut ante vocem 'accipe' de dantibus sane dictam rursus 'inquit' audiatur verbis 'sed cum se verterit annus' solis poëtae tributis, qui, quantopere distent ambae parentum voces, particula 'sed' significat. ('Haec', inquit, 'cura'; sed cum se verterit annus: ‖ 'accipe, victori populus quod postulat, aurum').

Satura X.

Vs. 312 sq.

In versu 312 Pithoeani scripturam 'quascumque mariti irati debet' defendi posse arbitror. Kiaerus (l. c. pg. 110—113) de hoc loco disputans lectionem Pithoeani tamquam duriorem mutandam quidem esse existimat, sed nihil certi in fine disputationis (p. 112) affirmare audet; ut tamen Pithoeani lectio teneatur, Madvigium (Adv. crit. II pg. 162) sequens 'ira sibi' pro 'irati' proponit, cui explicationi etiam is favet, qui Wdn. editionem nomen suum non professus recensuit (Lit. Ctrlbl. 1873).

Atque verba 'metuet, quascumque debet' interpretanda ita sunt: Poenas has prorsus est quod metuat; nam horrendae sunt. Ac 'quascumque' voce utitur poeta, quod quae in sequentibus versibus (vss. 315—317) certius definiuntur poenae variae esse possunt; similiter in v. 344 'quidquid' ex duabus rebus optione data. Verbum 'debet' igitur non officium sumendae ab adulteris vel dandae maritis poenae significat, quem sensum Kiaerus (l. c. pg. 111) iure repudiat; quare et illa scriptura 'maritis iratis debet', quam Henninius Heinrichius Iahnius Hermannus amplectuntur, a sensu vero abhorret, et quam codices nonnulli habent 'mariti irati debent' (sc. exigere). Idemque cadit in eam lectionem, quam defendere Kiaerus aliquatenus conatur (l. c. pg. 111) 'quascumque mariti — exigere irati' et ita construendam putat: 'et poenas mariti irati quascumque exigere metuet', ut verba 'quascumque' sententiae relativae vice non fungantur et 'exigere' aequam vim habeat atque in 'aerumnam exigere'.

Visque ea, quam ego verbo 'debet' subicio (G. redd. 'er muss mit vollem Rechte'), apud Iuvenalem occurrit in sat. V 171 'omnia ferre | si potes, et debes', ubi Meinertzius (Zur Krit. u. Erkl. d. Sat. d. Iuv. Konitz 1871 pg. 27) eam recte sermone nostro reddit. Pithoeani ergo scriptura aptum praebet sensum.

Satura XI.
Vs. 148.

Iahnius in maiore editione lectionem vulgatam Pithoeani cod. auctoritate commendatam in textum recepit: 'in magno cum posces, posce latine'. Quid haec lectio sibi velit, nescio. In minore vero editione praeeunte Hermanno versum uncis ut spurium includit Weidnerusque eum sequitur. Totum scilicet qui delet versum, omni cura vacat. At vero lectio, quam codices deteriores praebent 'et magno' (sc. pretio), haud ineptum efficit sensum, ut Rupertii Weberi Heinrichii exemplum imitandum sit. Qui (vol. II pg. 430) de hoc loco recte disputat statuens 'non' vocem ex antecedentibus 'non a mangone petitus' supplendam esse. Atque moneo ego de sat. XIII v. 44 et XV v. 125. Ut in v. 136 poeta dicit: 'sed nec structor erit', sic versus 147 sq. ita est enarrandus: Phryx aut Lycius, a mangone petitus quisquam et magno — deerit; post 'tutus' vero vocem maiore signo est incidendum. Lectio vero 'in magno' ex archetypi 'et magno' mendo librarii memoria antecedentis vocis 'erit' decepti (cf.

Beer. Melet. Vind. VI pg. 303 et Spic. Iuv. pg. 15) orta esse videtur.

Satura XV.
Vss. 69—72.

Versus 69—72 nec elegantes esse nec acumen prodere, Iongio (l. c. pg. 95) nemo non concedet; verumtamen quod ille dicit, ab interpolatore versibus 65—68 lectis cupidine abrepto eruditionem suam ostentandi compositos esse, a vero abhorret.

Cupido enim eruditionem historicam prae se ferendi Iuvenalis est multisque aliis deprehenditur locis (cf. II 109 et X 179 sq.). In satura porro X v. 179 similiter 'ille tamen qualis rediit' verba iterantur versu 185 ('sed qualis rediit') digressione brevissima interiecta. Nec versibus 69—72 eiectis v. 73 antecedentibus adiungi facile propter asyndeton in v. 75 effectum potest, cum a v. 75 apodosis bene incipiat.

Satura XVI.
Vss. 1—4.

Iahnius (in ed. min. 1868) et Weidnerus (pg. 305) post versum 2 excidisse aliquid asteriscis positis significant. Iniuria. In versu enim 2 particula 'nam', quae cod. Pithoeani auctoritate defenditur, ad vocem versus primi 'felicis' respicit nec necessaria est Scholtii emendatio (l. c. p. 107) 'num — sidere?' legendum esse existimantis. Sed verba 'pavidum tironem' offendunt. Sententiarum enim nexum, ut nunc est: 'si prospera castra subeuntur, pavidus tiro castra laeto animo intrabo secundo sidere', ineptum esse Friedlaendero (B. J. 13 u. 14. 1878. 2. Abthl. in rec. ed. May.) concedendum est.

Sed parva mutatione facta puto rem meliorem exitum habere, si 'me' in 'ne' emendatur. 'Ne' sic verbo antecedit, quod negare debet, atque voces 'secundo sidere' non supervacanea videntur. Explicanda enim res sic est: Si prospera castra subeuntur, tiro laeto sit animo, quoniam sidera fortunae eius non obstabunt. 'Me' ex 'ne' depravare in promptu fuisse consentaneum est. Exemplo est alius locus I 63, ubi Pithoeani librarius male scripsit 'non me libet medio . .' (cf. Beer. Spicil. Iuv. pg. 15).
